*TOMI I. PARS II.*

# NICOLAI DE CLEMANGIIS

THEOLOGI GALLI

Qui ſub Concilio Conſtantienſi claruit,

# VOTA PACIS AC EMENDATIONIS

IN

# CONCILIO CONSTANTIENSI

QVÆSITÆ.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*

## DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

ex antiquiſſimo MSCto AUGUSTÆ BIBLIOTHECÆ WOLFFENBVTTELENSIS

recenſita

*ab*

HERMANNO von der Hardt / Oſnabrugenſi,

Acad. Juliæ Profeſſore.

*FRANCOFURTI ET LIPSIÆ*

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JO. TRITHEMIUS
Abbas Spanheimensis:

* * *

NICOLAVS CLEMANGIS
Vir
in divinis Scripturis eruditus,
& in secularibus literis nobiliter doctus,
metro excellens & prosa,
magnam Eruditionis suæ evidentiam dedit.
Scripsit utroque stylo
multa
PRÆCLARA VOLUMINA,
quibus
luculentissimi ingenii sui
memoriam reliquit.
Claruit
temporibus
SIGISMUNDI IMPERATORIS
&
*Concilii Constantiensis*
Anno Domini
M. CCCC. XVII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## *HERMANNUS* von der Hardt *Lectori Salutem.*

RErum *fata* nosse, quis successus, quis eventus, utile quidem & jucundum: Ast *principia* pervidere atq; fontes, adeo sæpe difficile, ut à scrutamine abstinere & melius & tutius sit. Vel enim publicarum præcipue mutationum *origines* adeo sunt *remotæ*, ut longa temporis mora eas penitus sopiverit & posterorum memoriæ subtraxerit: Vel argutiis atque artibus favrorum hominum, qui palliare ac peregrinos rebus colores accersere norunt, *occasiones primæ* egregie dissimulantur. Quin, si penetrare forte oculato contingat, metus vel pudor oculos tegere & labia comprimere suadet. Sunt enim frequenter agnita *fundamenta* adeo *lubrica*, ut in illis consistere absque lapsu vel & vitæ discrimine non detur. Ut satius sit vel ignorare vel silentio te-

gere ac nescire velle *primas* publicorum fatorum *causas*. Sunt nihilominus omni ævo, sive candore pectoris pellecti, sive veritatis luce convicti, sive animi compassione compulsi, qui quam perviderunt publicorum motuum *ansam* fœcundamque materiam, dissimulare verentur. Ex quibus ad posteros promanat cum fonte rivus, ut vel judicet posteritas vel caveat.

Quandoquidem ergo Ecclesiæ & Christianæ reipublicæ fata *ante tempora Concilii Constantiensis* turbulentissima extitere, ut non majori tempestate quassata res Christiana crederetur, quam illa ætate: Infandorum *malorum*, illo tempore Ecclesiam inundantium *scaturigines* detegere non dubitarunt viri cordati & prudentes, qui iisdem fluctibus jactati, nexum atque impetum rerum omnium coram erant intuiti. Expertis his fidem à posteritate haberi omnino par est. Quanto etiam difficiliora deprehensa sunt ista negotia, non sine vehementissimis Ecclesiæ & reipublicæ motibus componenda: Tanto major illis debetur gratia, qui *turbinum principia* monstrarunt.

Decentissime hoc *sub ipso Concilio Constantiensi* præstiterat celebris Theologus THEODERICUS VRIE in nobili sua *Concilii Constantiensis historia*. Denudaverat hic Ecclesiæ faciem, illa ætate ex inflictis vulneribus sic maculatam, ut absterreret à sui consortio omnes bonos carissimosque filios, tantum abest ad gremium suum exteras gentes ac

hostes

hostes invitaret. *Ecclesiastici status miserrimam* illo tempore *conditionem*, ex *corruptissimis moribus* ortam, sincere demonstraverat. Cui nefandæ *morum corruptioni remedium in Concilio Constantiensi* per SIGISMUNDUM IMPERATOREM diligentissimè *quæsitum* esse, idem plus centies apertissime monuerat. Ita ut ex totius orbis voto *Concilium Constantiense Reformationis communis* haberetur *theatrum*, in quo omnium doctorum virorum consilio depravati Ecclesiæ mores prorsus emendarentur. Tametsi verò saluberrimo huic negotio tenacissima injecta impedimenta, laborum tamen gravissimorum in solennissima isthac Ecclesiæ congregatione scopum illibatum mansisse *Publicam Ecclesiæ Reformationem*, sedulo inculcaverat.

Quapropter in historica recensione celebratissimi Concilii Constantiensis, Clarissimum hunc *illius ævi scriptorem*, oculatum testem, *Theodericum Vrie*, in pulvere relinquere, aut præterire tacite, nefas existimavit SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS. Quin potius, quod doctus & peritus, prudens & circumspectus hic Theologus, *fundum* omnis illius *mali* pulchre detexisset, ac elegans *compendium omnium*, primorum ac ultimorum *istius temporis motuum*, scite concinnasset, hunc reliquorum *scriptorum agmen ducere* Ejus Celsitudo æqvum judicavit & præclara viri eruditione ac integritate dignum.

Comites vero & locupletes ac graves fidei *testes*

*ſtes ex eodem ævo* Theoderico noſtro jungere, quibus *eædem periculorum cauſæ* non ſine lacrymis obſervatæ, conſultum putavit Princeps.

Deſideratisſimam igitur JOHANNIS à WALLENROD *Concilii Conſtantienſis hiſtoriam*, in præfatione *operis Vriani* laudatam, magno ſtudio quæſitam, hic jam exhibuiſſemus, niſi iniquisſima fata omnem illius potiundi ſpem orbi erudito viderentur denegaſſe. In *Franconia, in tabulis Eccleſiæ Schvvobacenſis*, ubi, cum Eccleſiam illam multis reditibus beaſſet, defunctus Noſter, nulla hujus literarii monumenti Wallenrodiani veſtigia ſupereſſe, ex Decano Schvvobacenſi nobis retulit *Noricæ Eccleſiæ Theologus clariſsimus & Philologus Excellens Dn. Feurlinus. In Cæſarea Viennenſi Bibliotheca*, inter præclara MSCta *Bruſchii*, qui Wallenrodianum opus poſſediſſe creditur, quæſitæ Wallenrodianæ reliquiæ. Verùm has nec ibi comparuiſſe cum dolore accepimus.

Spem noſtram interea aluerat *Boruſſia*, perilluſtri VVallenrodiana familia effulgens. Verùm ſerena ſpes noſtra denſisſima doloris nube obruta ac penitus abſorpta. Niſi ex cineribus ſuis, quos amaris merito irrigamus lacrymis, reſuſcitari poſſe nobile monumentum nobis perſuaderi patiamur. Quandoquidem *Perilluſtris ac Generoſiſſimus Dominus JOHANNES ERNESTUS à WALLENROD, Conſiliarius Elect. Boruſſiæ ſupremus ac Curiæ Provincialis Præfectus eminentiſsimus*, impenſis deſideriis

deriis *Serenißimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI*, pro suo prolixissimo in publicam rem literariam affectu, responsurus, *tristissimam* laudatissimi antiqui MSCti *fortunam* gratiosissimis literis commemoravit. Quæ fata absq; lacrymis intueri non posse quempiam sumus persuasissimi. En ergo elegantissimam *Excellentißimi Viri*, Venerandi Senis, octogenario majoris, *Epistolam*, epicedium deperditi præclarissimi operis complexam, non sine gemitu legendam.

„ Literas tuas *d.* 23. *Octobr. a.p.* ad me datas „ *mense Decembr. ejusdem Anni* accepi. Indicasti iisdem „ desiderium lustrandi *historiam Concilii Constantiensis à* „ *JOHANNE à WALLENROD olim conscriptam*, quam tibi non „ solum in scripto, felicissimis Auspiciis *Serenissimi Prin-* „ *cipis ac Domini Dn. RUDOPLPHI AU-* „ *GUSTI Brunsv. & Luneb. Ducis &c.* adornando, „ proficuam futuram, verum etiam à me tibi subministratum i- „ ri certissime confidis. Equidem ipse fateor, non exiguam „ operi, quod meditaris, fœneraturum esse lucem *scriptum Wal-* „ *lenrodianum*, si honorifica testimonia Historicorum ejusdem „ mentionem facientium veritatem non offendunt, inter quos „ non postremus est à te allegatus *Bruschius l.c. fol.* 39. cui consentit „ *Spangenberg. part.* 2. des Helden Buchs Teutscher Nation *p.* 185. Taceo „ *alios*, ne multorum commendatio acerbam memoriam rei amissæ reducat. Scriptum enim *Agnati mei*, cujus memoria „ sit in pace, supellex libraria mea tanquam singulare ornamen- „ tum jamdudum desiderat. Nec mireris, quare bibliotheca „ mea, quam tu vel nimia humanitate, vel favorabili fama se- ductus instructissimam appellas, hoc scriptum non possideat. „ Sequentia enim, ut puto, scrupulum tibi excutient. *Dn. Parens* „ *meus* beatæ memoriæ, *Cancellarius hujus provinciæ* olim Excel- „ lentissimus, & si verum fateri liceat, *Philomusus genuinus* (enco- „ mium enim, quod ipsa invidia illi tribuit, à filio sine grandi impietate & ingrati animi turpissima nota dissimulari non „ potest)

„ poteſt) pro *ſingulari*, qua pollebat, *eruditione*, & *accurata librorum*
„ *cognitione* haud vulgarem ſupellectilem optimorum libro-
„ rum ſummo ſtudio collectam, maxima cura, ut pretioſiſſi-
mum theſaurum cuſtodiebat. Sed eheu! Funeſta ac impro-
„ viſa *flamma*, quæ unde ſurrexerit, in hunc usque diem ignora-
„ tur, cunctis domeſticis alto ſomno ſepultis in ædibus pater-
„ nis orta, omnem ejus ſubſtantiam, &, quod magis dolen-
dum, egregiam *Bibliothecam*, ne pagina quidem relicta, *hauſit*,
„ ſemique nudis domeſticis vix ægre ſe repentina fuga ſubdu-
„ centibus, præter vitam nihil quam incredibilem terrorem re-
„ liquit. Quod factum *Anno hujus ſeculi XXIII.* Ego tunc puer
„ *octo annorum*, felici ſaltu per fenestram ſex vel ſeptem cubitis a
terra diſtantem, periculo vitæ liberatus, dolores paternos, ut
„ illis annis fieri ſolet, vix capiebam. Hoc tamen probe adhuc
„ memini, Dominum Parentem, tanquam Virum quadratum
„ animique conſtantis, rerum in hac calamitate amiſſarum re-
„ cordatione nunquam valde motum, Bibliothecæ tamen, &
inprimis *manuſcriptorum*, nullo pretio comparabilium, memo-
„ ria adeò excruciatum fuiſſe, ut vix eorundem mentio ſit fa-
„ cta, quin oculi ipſius acerbis lacrymis rigarentur. Quarum
„ nonnullas MANUSCRIPTO quoque JOHANNIS à WAL-
„ LENROD conſecratas fuiſſe eo minus dubito, quo certior ſum,
*Dominum Parentem meum, ſcriptum iſtud* ex Franconia ſecum ad-
„ portatum *maximis in deliciis habuiſſe*. Ex hoc quidem tempore
„ novam bibliothecam inſtaurare iterum cœpit, quam ego pro
„ facultatibus meis amplificavi & exornavi, *manuſcripta* tamen
ſemel *flammis abſumta* optari quidem potuerunt, reſtitui non
„ potuerunt. Quare etiam facile me veniam conſecutu-
„ rum eſſe minime deſpero, ſi hac in re placitis ac deſideriis
„ *SERENISS. PRINCIPIS BRUNSVIC.*
„ *& LUNEBURG.* Domini mei Clementiſſimi, cui
„ cum devota & ſubmiſſa ſervitiorum meorum oblatione im-
„ menſum annorum curſum cum omnigena felicitate ex animo
apprecor, officiis meis reſpondere non potuerim. Deum te-
„ ſtor omniſcium, quam promtus ſim, ſi quidquam qualiquali
„ ſtudio meo res literaria promoveri queat. Inprimis mihi gra-
„ tulatus eſſem, ſi mea tenui opera piis conatibus ac heroico in-
ſtituto Tanti PRINCIPIS ſuccurrere, aut ad minimum hac
„ occaſione promtum inſerviendi animum explicare potuis-
„ ſem. Quo fine non ſolum *meam ſupellectilem librariam diligentiſſi-*
*me*

„ *me excussi, verum etiam Bibliothecæ Electoralis & virorum eruditorum*
„ *subsidium imploravi* (quod responsionem meam huc usque sus-
„ flaminavit) sed inani successu. Quare cum hic opera mea
„ nihil valui, piis suspiriis & votis, quæ pro vestri *laboris, Reipublicæ*
„ *literariæ utilissimi*, felici successu emittam, conatus vestros
„ semper comitabor.
„

*Regiomonti Borussorum*
*die 9. Februarii* 1696.

JOHANNES ERNESTUS à VVALLENRODT.

## Altera magni literatorum Mæcenatis epistola, qua eadem MSCti Agnati sui fata amare deplorat illustrissimus WALLENRODIUS.

„ QVam impossibile mihi fuerit repetitis tuis satisfacere
„ petitis, vel literæ superiori mense ad te exaratæ doce-
„ bunt. Funestissima flamma septuaginta tribus ab-
„ hinc annis *Manuscriptam Concilii Constantiensis historiam*,
„ auctorem JOHANNEM à WALLENROD agnoscentem,
„ proh dolor! delevit, simulque facultatem eandem tibi com-
„ municandi mihi abstulit. Credas velim, vir præclarissime,
„ non mediocrem me inde sentire dolorem, quod tam oppor-
„ tunam & publico & tanto PRINCIPI amiserim inservi-
„ endi occasionem. Omnibus idcirco in Patria antiquitatum
„ literariarum monumentis diligentissimè excussis, virisque in
„ hoc curioso studiorum genere versatissimis in consilium tra-
„ ctis, etiam ad exteros mea excurret inquirendi diligentia, &
„ quicquid inde ad me perveniet notitiæ, fideliter tibi com-
„ municabo. Non enim exiguam nostræ familiæ accessurum
„ esse splendorem credo, *si scriptum Wallenrodianum* felicissimis
„ auspiciis *Serenissimi Principis* BRUNSV. AC LUNEB. DUCIS publicis
„ exscriptum extaret typis. Interim non possum non nisi grato
„ animo agnoscere singularem prænobilissimæ tuæ claritatis
„ favo-

„ favorem in me & totam familiam nostram publico scripto
„ luculentissime testatum. Præfationis sane ad lectorem totius
„ operis primarium sibi vindicat argumentum laus & enco-
„ mium WALLENRODIORVM. Neque in disputa-
„ tione tua eruditissima dissimulare potuisti affectum tuum in
„ nostram familiam propensissimum, dum *JOHANNEM à*
„ *WALLENROD, ArchiEpiscopum Rigensem*, singulari favoris tui
„ argumento inter Esaias istos, qui SIGISMUNDO IMPERATORI
„ gloriosissimæ memoriæ, genuino ævi sui Hiskiæ, operam
„ contra machinationes Pontificum fideliter præstiterunt, sat
„ honorifice numerasti. Hanc certe gratiam nullis unquam
„ oblivionis terminis circumscribi patiar, & quamlibet impo-
„ sterum occasionem tibi tuisque inserviendi promptissime ar-
„ ripiam. Vale.

Regiomonti Boruss. d. 8.
Martii, 1696.

*JOH. ERNEST à WALLENRODT.*

Quod igitur omnis jam spes nostra decollasse videatur, luctum ab interitu *literarii thesauri* reliqvum temperabimus non nisi *indelebili ejus memoria* resuscitata ac æternitati consecrata.

Fiat hoc sequenti imposito cineribus MONUMENTO.

AVREO

AVREO MANVSCRIPTO
# HISTORIÆ CONCILII CONSTANTIENSIS
Illustris Conditoris
*EQVITIS AURATI*
## JOHANNIS A WALLENROD
Generis, virtutis, eruditionis
gloriâ inclyti
Splendidissimi Concilii spectatoris
sagacissimi
Constantissimam lucem
atque incorruptibilitatem promerito
Ast
cum inæstimabili Bibliothecæ
Wallenrodianæ thesauro
funestæ ac insidiosæ flammæ injuriam
experto
Irreparabili damno
A. M DC XXIII.
*IN CINERES SOLUTO*
Hæc
*LACRYMARUM URNA*
doloris sempiterni materia
pro inextinguibili desiderio
conservando
fessa manu posita.
A. M DC XCVI. ID. MART.

ACCIPE NON PARIO NUTANTIA PONDERA SAXO,
QVÆ *CINERI* VANUS DAT RUITURA LABOR:
SED FRAGILES BUXOS, ET OPACAS PALMITIS UMBRAS
QVÆQVE VIRENT *LACRYMIS* ROSCIDA PRATA *MEIS.*
ACCIPE, WALLNRODI, NOSTRI MONUMENTA LABORIS,
HIC *TIBI* PERPETUO TEMPORE VIVIT HONOR.
CUM MIHI SUPREMOS LACHESIS PERNEVERIT ANNOS,
NON ALITER CINERES MANDO JACERE MEOS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

QVod ergo lacrymas tantisper reprimere oporteat, à *sacris* Wallenrodiani operis *cineribus* madentes oculos alio flectere, & senes alios quærere *Vrianæ sinceritatis testes*, necesse.

In spectabili MSCtorum ad rem præsentem spectantium cumulo, quæ singulari fortuna in *Serenissimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI*, hanc Historiam molientis, celsissimas manus inciderunt, cum alius esset quæsitus *scriptor antiquus*, qui nostri Vrie latus clauderet, fata Concilii Constantiensis suis etiam oculis olim intuitus: Obtulit sese GEBHARDUS DACHER *Constantiensis*, qui celebris hujus Concilii pars haud postrema extitit, Conciliiq; splendidissimi historiam curate olim conscripsit, Vir doctus, & præsentibus in Concilio Principibus gratus, Electori præcipue Saxoniæ impense dilectus, in patria sua, Constantiensi republica, autoritatis magnæ, patriæ historiæ amantissimus. Cum *Ulricho Reichenthal*, Canonico *Constantiensi*, Viro spectabili, sibi admodum familiari, in Concilii Constantiensis scribenda Historia certavit. Unus tamen ob familiaritatem alterius opera usus. GEBHARDI hujus DACHERII *HISTORIAM CONCILII CONSTANTIENSIS MSCtam*, nec quod sciamus unquam editam, ex *AUGUSTA Bibliotheca Wolfenbuttelensi* clementissime exhibuit *Serenissimus Princeps RUDOLPHUS AUGUSTUS*. Præfatio huic historiæ præmissa

de

de autoris genio testabitur. *Christianus*, inquit, *orbis trium Pontificum dissidentium machinis erat distractus. Quod enim quisque suos in diversis regnis sectatores, obedientiam tanquam Pontificum summo præstantes, invenisset, dirissimo dissidio, fidem attingente, longo tempore continuato, confusa omnia. Neque hoc incendium nisi universalis Concilii ope restingui poterat. Sigismundi Imperatoris consilio atque industria effectum tandem, ut diversæ nationes Christiani orbis, Itali, Germani, Galli, Angli, Hispani, una cum finitimis populis, in unum congregarentur cœtum. Quo facto reformationem ursit Imperator. Ceterum in populosissimo isthoc Concilio universali voti sui non ultra compos factu Sigismundus Augustus, quàm quod Cleri ordinem illuc convocatum ac præsentem, ad confessionem suorum scelerum, ac inprimis Simoniæ, dissidiorum, ac in fide dissensionum, compulerit, memoratos tres Papas sede moverit, & cum omnium consensu novum Papam Ottonem de Columna, antea Cardinalem, Martini V. nomine insignitum, eligi curarit. Acta hæc Constantiæ, Concilio in tertium annum & 9. mensis protracto, A. 1418. finito. Advenerat huc in Concilium ipse Johannes XXIII. Pontifex, ast mox iterum se subduxit. Vocati ad hoc Concilium Hussus ac Hieronymus. Quorum ille, Imperatoris salvo conductu stipatus à Bohemis Constantiam deductus, ac à Romana curia hæreseos accusatus. Cæsar, quasi, tenore decretalium, Husso fidem datam præstare non teneretur, multis verbis persuasus, Husso & Bohemis salvi conductus fidem fregit. Sic Hussus ille ac Hieronymus, quod Sacramentum cœnæ sub utraque specie, ex institutione Christi, in Bohemia ad exemplum veterum administrandum publice prædicassent atque ita distribuissent, exusti. Quomodo Concilium dissolutum, neque Reformationi, ab Imperatore quæsitæ ac desideratæ, locus ullus relictus. Qualem reformationem in hunc usq; diem* (sub Concilio Basileensi) *& seculares & Ecclesiastici fugiunt. Decretum interim in Concilio, à fine Constantiensis Concilii intra quinque annos proximos novum Concilium cogendum, & illo finito singulis decenniis semper aliud esse congregandum. Tres isti submoti Papæ fuerunt Petrus de Luna Hispanus, Benedictus XIII. cognominatus, Angelus de Corario S. Gregorius XII. & Balthasar de Cossa S. Johannes XXIII. Cetera in Concilio confecta negotia, hæc sunt: Missalia sacra, Benedictiones Papales, Indulgentiæ, Processiones, Ceremoniæ, pompæ ac splendoris ostentationes, Consecrationes panum, ignis, aquæ, cerearum, unctiones, lustrationes, Agnus Dei, rosæ, laudes, campanarum tinnitus, & similia. Femina quoque Brigitta in hoc Concilio inter sanctas relata. A Concilio Imperator Pragenses frustra obsedit. Pontifex verò Eugenius Concilium Basileense impedire conatus.*

Ex qua DACHERII præfatione zelus & affectus Viri, & judicii sinceritas, ac ob reformationem in Concilio impeditam animus indignabundus abunde elucent. Ut Nostro Vrie jungendus

proxime omnino videatur. Ceterum, quod pia Sigismundi vota à Clero istius temporis frustrata videret, falsæ spei publicæ impatiens, externum præcipue in sua historia præ aliis rebus Concilii apparatum literis commendare maluit. Quod decenti ordine, *Ulrichum Reichenthal*, Civem ac familiarem suum longe superans, præstitit. Quapropter DACHERO nostro alium in altero Tomo locum dandum esse consultius putavimus.

Cum itaque inter MSCta porro de aliis dispiceretur autoribus, qui fontem mali monstrassent, *corruptione isto tempore in Ecclesiastico statu publica*, utpote Concilii Constantiensis causa atque occasione prima, urgentissimaque materia, exposita: Placuit DUCI præ cæteris CLEMANGIUS, Theologus eruditissimus atque solertissimus, sed & religionis Christianæ amore penitus imbutus. Qui plerasque illius tempestatis *motiones* publicas & intricatissimas *causas* suis observasset oculis. Qui *corruptissimum sui illius temporis in Ecclesia statum* elegantissima oratione descripsisset. Quique seriam & curatam *Ecclesiasticorum emendationem* multis precibus flagitasset.

Ex AUGUSTA proinde *Wolfenbuttelensi Bibliotheca* vetustissimum *Epistolarum Clemangii* nostri *Codicem MSCtum*, magna Ducis gratia impetravimus, ex quo curate primùm seligeremus ad rem præsentem facturas. Etsi verò à *Lydio* editas constaret *Clemangii Epistolas*, *MSCto* tamen

men tanto magis fidendum esse creditum, quanto certius cognitum, edita hactenus antiquorum Scriptorum opera à MSctis fide dignis quamplurimum sæpe differre. Id quod mox in collatione MScti hujus cum editione Lydii abunde animadvertimus.

*Scriptus antiquus* hic *codex anno* 1480. per *Eucharium Trosther, Præbendarium Ecclesiæ majoris Argentinensis*, ut suâ in fine libri testatus est manu. Inscriptio MScti hæc est: *Epistolæ Magistri Nicolai de Clamenges, Cantoris Bajocensis.*

Locupletior hic codex MSctus Lydiano. Multæ quippe epistolæ hic deprehenduntur, nec Lydio nec orbi erudito hactenus visæ. Sicuti ex adverso quasdam etsi breviculas *Lydius* exhibuit, quas hoc volumine non complexus est *Trostherus*. Præterea insertæ his à *Trosthero* illæ, quas de *Concilio Generali* scripsit *Clemanges*: *Lydius* verò in MScto suo non inventas, ex impressis haustas seorsim recensuit.

Selectissimas proinde quas hic exhibemus Clemangianas è laudato nobili *MSCto VVolfenbuttelensi* bona fide depromsimus. Quippe quod *emendatiorem* hunc *Codicem MSctum* deprehenderemus, quam Lydianum. Id quod conferentibus nostram recensionem cum Lydiana satis superque constabit. Varias autem cumulare lectiones, supervacaneus fere labor habitus.

*Argumenta præmittere* clariora atq; pleniora addi-

additis insuper characteribus aut *indicibus marginalibus*, operæ fuit visum pretium. Lectoris quippe memoriæ & fugientium oculorum commodis inservire omni modo, par & æqvum est.

Pingunt selectæ hæ epistolæ eleganter *vivam istius temporis*, Concilio Constantiensi nobilitati, *imaginem*: Quæ nubes ac *nebulæ* præcesserint *in Ecclesia*: Quam aucta suspiria & vota pacis ac emendationis Ecclesiasticæ: Quam illas tempestates dissipare studuerit Constantiense Concilium: Quam *multa* injecta *offendicula*: Quam *tenax* prior *corruptio*: Quam denique *difficilis* tentata in Concilio solenni *emendatio*.

Uberiorem his affundet lucem aliud breve sed nobile ejusdem *Clemangii* opusculum, *De Ruina Ecclesiæ circa tempora Concilii Constantiensis*. Quod ex præclaris *MSctis* itidem petitum Epistolis his subjungere animus est, tanquam nitidissimum sed & *plenissimum* in pauculas has epistolas & ardua *Concilii tempora commentariũ*.

Tanto majorem erudito orbi nos facturos gratiam speramus, Clemangianis his rebus ex MSctis erutis atque operi huic insertis, quanto uberiorem affundunt lucem historiæ Concilii Constantiensis, quantoq; corruptiora Clemangiana hactenus edita, nostraque MScta pleniora atq; emendatiora. Ut cum VRIE resuscitari denuo meruerit CLEMANGIUS, coætanei, eorundem olim fatorum publicorum participes.

NICO-

# NICOLAI CLEMANGII
Theologi Parisiensis
## Qui sub Concilio Constantiensi claruit,
## SELECTÆ EPISTOLÆ
## EX MSCto WOLFENBUTTELENSI.

Quibus *Reges*, *Pontifices*, aliosque *viros illustres*, ipsum denique CONSTANTIENSE CONCILIUM, enixe obsecravit, ut corruptos illo tempore Ecclesiasticorum mores emendarent, ac dissensionibus publicis mederentur.

## CAPUT I.

### *De ardentibus* CLEMANGII *votis, pro auxilio in publica Ecclesiæ calamitate, ante Concilium Constantiense per Ecclesiasticos excitata, à* CAROLO VI. GALLORUM REGE *quassata Ecclesia ferendo.*

*Malorũ initium An.* 1378.

TAmetsi tempestates, circa Concilii Constantiensis tempora Ecclesiam & rempublicam Christianam quassantes, *lenta & occulta per plura secula subrepentia* agnoscant *principia*: Seculo tamen XIV. An. 1378. *quadraginta* propemodum *annis ante Constantiense Concilium*, palam erumpentes Ecclesiam inundare cœperunt. Fatali quippe hoc anno, *Gregorio XI.* qui Avenioni in Gallia sedem habuerat, Romamque iterum se contulerat, defuncto, novus substituendus erat Pontifex. Hic *artibus* videbatur locus dandus, quibus sedes Papalis *in Italia* iterum firmaretur. Factum aut tentatum hoc multis machinis, callidis consiliis, suasionibus, corruptionibus, armata denique manu. Quæ callida machinamenta, ac publicarum in Ecclesia turbarum feralia initia, *Theodericus Vrie, in Historia Concilii Const. lib. 2. dist. 6. f. 37. seqq.* fuse exposita, vehementer illo tempore est detestatus.

*Romanorum calliditas turbis prælusit.*

*Dolis* majus *infortunium* accesserat, quando per artes & vim electus novus Pontifex *Bartholomæus, Neapolitanus, Archi Episcopus Barensis, Urbanus VI.* dictus, grandibus vitiis insignis deprehensus. *Theodorico Niemio*, aulæ Ro. Secretario, domestico illius temporis teste, *Turbanus: Theoderico* nostro *Vrie, Hist. Conc. Const. lib. 7. dist. 1. f. 179. omni malitia exercitatus, parricidaque*: Illustri *Stephano Baluzio, in Vitis Paparum Avenionensium, natura ferox, melancholicus, bibax, ebriosus, furiosus, vindictæ appetens, crudelis, immanitate barbarus*, audit.

*Urbani VI. prava indoles.*

Tristia hæc publicæ rei fata cum animadverteret Gallia, alium Papam, *Robertum, Comitem Gebennensem, Clementem VII.* elegit, quem moribus ornatiorem & regimini aptiorem censeret, *natura lentissimum, omnibus in rebus comem & humanum, liberalem, pauperum patrem, scientia literarum spectabilem, eorum qui illarum studiis dediti erant*

*Clementis VII. melior ment.*

*rant fautorem, in dubiis sapientem, in adversis patientem, in injuriis non iratum, nec convitiis commotum,* memorante *Baluzio, l.c. in præf.*

Cujus lenitas ac indulgentia tanta, ut in grande vitium ac magnum Ecclesiastici decoris detrimentum deflecterer. Utpote quam *Clemangius* noster, testis gravissimus, cuncta coram intuitus, amare deploravit in nobili suo opusculo *De ruina Ecclesiæ.* Cujus verba, ex *MSCto Academiæ nostræ Juliæ*, hæc sunt: *Quid Clemente nostro dum ad vixit, miserabilius? Qui ita se servum servorum Gallicis principibus addiceret, ut vix minas & contumelias, quæ illi quotidie ab aulicis inferebantur, deceret in vilissimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, dissimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba. Omnibus quos aut ars assentatoria aut ludicra in curiis acceptos ferebat, summopere placere studebat, eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & favorem assequeretur. His itaque & juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maxime consortio gaudebat, singulos vere vacantes Episcopatus ceterasque præcipuas dignitates impendebat. Denique, ut Principum benevolentiam facilius assequeretur, assecutam foveret, fotamque conservaret, conservatam amplificaret, plurima ultro donaria atq; xenia illis dabat. Quascunque super clero exactiones petere voluissent, annuebat, ultro sæpius etiam ingerebat. Sic omnem clerum, secularium magistratuum dispositioni ita subjiciebat, ut Papa magis quilibet eorum, quam ipse putaretur.*

*Clemens VII. Curiæ Gallicæ mancipium.*

*Ecclesiastica beneficia quibus distribuerit.*

*Duobis* igitur his sic comparatis *Pontificibus*, publica res universa ubique debilitata atque enervata. *Romam* sane ipsam sub suo isthoc *Urbano* & successoribus pessum ire cœpisse, pœnamq; suæ temeritatis luisse, graviter commemoravit laudatus noster *Vrie*, l. c. f. 43. *Roma, quot & quantis subjecta fuerit traditionibus, cædibus, tribulationibus, bellisve intestinis ac punicis, norunt ipsi, referant & scribant iidem. Non dico ab alienis, non extraneis Principibus, sed ab eorum summis quos clamabant, Pontificibus. Qui tanquam Reges virga ipsos ferrea non tantum regebant, sed etiam tanquam vas figuli illos confringebant. Et, ut clarius edisseram, non modo jugulabant, decapitabant, in servitutem eos redigebant, vineas & segetes eorum sibi vendicabant, filios & filias sibi servos servasque faciebant: Verùm etiam totam urbem Romanam servam sibi fecerunt, & servituti tyrannice subjecerunt &c.*

*Ruina Romæ sub Urbano & successoribus, ante Concilium Const.*

Hac tempestate omnis virtus, morum decor, Christiana pietas, justitiæque religio succubuit. Pudori omni remoto grassari cœpit Ecclesiasticorum ambitio, rerum sacrarum turpis & execrabilis venundatio, insatiabilis avaritia. Quibus cuniculis publica res universa subruta ac convulsa penitus. *In principio, quo Urbanus VI. Papa creatus est*, scribit ingenue integerrimus *Vrie, l.c. dist. 7. fol. 48. incepit ipsum schisma. Quo crescente creverunt Simonia, avaritia, ambitio & cetera.*

*Statu Ecclesiæ illo tempore.*

Cujus infandæ *corruptionis* turpissima *incrementa* fuse ac clare multis depinxit figuris oculatus testis, celeberrimus *Vrie, l.c. f. 48. 49. & dist. 8. fol. 50.*

*Simo-*

*Simoniæ & sacræ venundationis* publicum illo tempore forum non exhibuerit apertius ac manifestius quispiam, quam sincerissimus noster *Vrie* præstitit, *lib.1. met.2. fol.* 11. *& lib.3. dist.2. fol.* 60.61.62.63. *& lib.* 4. *dist.7. fol.* 105. 106. *Simonia regnum.*

Insatiabilem *honoris cupiditatem, in toto Ecclesiastico statu* illa ætate dominantem, clarissime ob oculos posuit candidissimus *Vrie, lib.3. dist.3. fol.*64.65.66.67.68. *& lib.4. dist.8. fol.* 108. *seqq.* *Arrogantiæ & fastus imperium.*

Porro *ad officia & munera sacra*, majora ac minora, *ineptissimos* quosque, *literis destitutos*, & moribus pessimis præditos, tunc temporis *promotos*, eruditis & honestis viris postpositis ac rejectis, amaris lacrymis deploravit *Vrie, lib.3. dist.4. fol.* 68. 69. 70. 71. 72. 73. Ratio fuit, quod non virtus & eruditio, sed auri & pecuniæ vis omnia & unice in Ecclesia tanquam in foro posset, teste *Vrie* luculentissimo. *Illiteratorum ac rudium in Ecclesia dominium.*

Accessit *præsidum Ecclesiæ tyrannis*, judice gravissimo *Vrie, lib.3. dist.5. fol.*73.74. *seqq.* Qui Ecclesias expilarent, insontes premerent, ac pro libidine de Ecclesiis disponerent. *Præsidum Ecclesiæ tyrannis.*

Quo affectato *Ecclesiasticorum dominio Imperii Ro. majestas* & gloria vehementer *imminuta* & tantum non fracta, conquerente cordato nostro *Vrie, lib.3. dist.6. fol.* 77.78.79.80.81. *Imperii Ro. supplantatio.*

Quibus corruptelis omnibus vim adjecit *Præsulum Ecclesiæ* illa tempestate *ignorantia*, literarum sacrarum & civilium turpis ac supina inscitia. Unde nata imprudentia, temeritas, crudelitas, omnisque publicæ rei ruina. Quippe quibus antistitibus *gradus sacri* non *nisi occasiones lucri*. Quod indignissime tulit *Vrie, lib.3. dist.7. fol.*82.83.84.85. *Præsulũ ignorantia.*

Immanissima hæc vitia *ansam* dederunt, in immedicabili ista Ecclesiæ corruptione, multis viris doctis, non solum *querendi* ac deplorandi miseram Ecclesiæ fortunam, sed & acerbius in Pontifices universumq; clerum invehendi, vitia taxandi, ac mores meliores præscribendi. Id quod ex candidissimo nostro *Vrie*, luculenter patet. *Querelæ bonorum publicæ.*

Alii eousque progressi in illis turbis, ut *aperta fronte* autoribus *summis Pontificibus sese opponerent*, eorum jugum excutiendum suaderent, omnemque eorum autoritatem, qua abuti viderentur, vellicarent. Quod tanto studio atque animi impetu aliqui fecerunt, ut inde hæreseos notam ferrent, & ad supplicium publice raperentur, utpote qui decreta ac statuta Pontificum fregissent. Quales *Wiclefus*, *Hussus*, *Hieronymus Pragensis*, aliiq; plures. Quorum etiam fata descripsit *Vrie, lib.3. dist.8. f.95. seqq. & lib.4. dist.* 12. *f.*120. *Emendatores violenti.*

Alii *magis* visi *moderati & cauti*, in aulis versati, vel aulicorum mores imitati, viri magni, Theologi ac Politici, alia obviam illis malis via eundum judicarunt: Publicis nimirum obtestationibus, admonitionibus, precibus, literis atque epistolis devotissimis, ad Reges atq; Pontifices exaratis. *Reformatores moderati.*

In his reformationis suscipiendæ patronis cum excelleret & *Clemangius*, illustris *Parisiensium Theologus*, elegantia literarum celebris, pectoris candore, sed & animi præsentiâ alios antecellens, non destitit *molliorem* hanc inire *viam*. Crebras proinde, easque ornatissimas, sed & gravissimas, neque occultis tamen aculeis destitutas, ad Reges *Clemangii genio.*

atque Principes, Gallos externosq;, dedit literas, quibus eos deliniret atque ad emendationem corruptelarum istarum invitaret.

*Anno 1393. Clemangius hanc scripsit epistolam.*

En ergo calcaria CLEMANGII, *Gallorum Regi* CAROLO VI. *addita*, quibus tantum Principem ejusque curiam ad desideratam emendationem superiorum corruptelarum instigaret. Scripsit hanc epistolam Parisiis, *Anno* circiter 1393. vivente adhuc CLEMENTE VII. Pontifice, summo Avenionensi, qui Urbano VI. in Italia dominanti oppositus fuerat, haud longe tamen ante ejus obitum, qui securus *A.* 1394. adeoque illo tempore, quando schisma quindecim jam annos duraverat, & mores depravati increbuerant, ac virtus sopiri, simonia crescere, omnisque confusio oriri cœperat. Unde pro temporis conditione *molliusculà* adhuc hæc *epistola*, emendationi quæsitæ sacrata. Auctis dein turbis ac vitiis, pessundataque tandem omni Ecclesiasticorum virtute, sub sequentibus Pontificibus, *Bonifacio IX*, *Innocentio* VII. *Gregorio* XII. *Alexandro V. Johanne* XXIII. *& Benedicto* XIII. usque ad Concilii Constantiensis remedia, graviores indies literas, sale uberiori adspersas, atque profundius penetrantes, quin & acrius mordentia scripta adjecit. Quod testabitur acre & doctum *ejus* opusculum *de Ruina Ecclesiæ, ex MSCtis Bibliothecæ nostræ Academicæ* mox *Parte* III. exhibendum. En autem ardentia Clemangii vota ex *MSCto Wolfenb.*

## CAROLO VI. FRANCORUM REGI CLEMANGIUS.

*Res magnas ausus Clemangius. Zelus religionis.*

NOn meum, *Princeps Christianissime*, fugit animum, quot adversum me *calumnias* concitem, quantis me *æmulorum morsibus* ac latratibus objiciam, qui humilis atque ignotus sensu, pariterque natu junior, *Tuæ* sublimi *Celsitudini* de rebus magnis atq; arduissimis scribere adorior.

Sed *zelus* ardentior domus Dei, qui mihi ad hoc audendum dux, adjutor, impulsorq; est, apud tuam, ut confido, clementiam me excusabit. Quæ si aures placidas præbuerit, *piisque* dignabitur meis *hortatibus* mentem benignissimam inclinare, linguas ac *maledicta obtrectatorum* facile despiciam.

*Nihil salutare absq; obtrectatoribus.*

Quonam usque igitur, *Princeps Potentissime*, quousque tandem hanc *miserabilem sanctæ Ecclesiæ sectionem* patiere? Quamdiu sacrosanctam Christi religionem cachinnis atque irrisionibus infidelium subjacere permittes? Quousq; igitur domus Dei ædificium, sacrosancto pignore sangvinis proprii filii structum, consecratum & dedicatum, tuis temporib' corruere & demoliri sines?

*Diuturna calamitas Ecclesiæ ante Concil. Const.*

Ecce, jam *trinis* exactis *lustris*, Petri navicula horribili disjecta tempestate, dissipatur: Alternisque & adversis flatibus adeo concutitur, ut ruptis jam magna ex parte compagibus vix sibi cohæreat. Hinc Scyllam videt, hinc Charybdim. Hinc Scyllæi pertimescit monstri canibus lacerari, inde Charybdis raptissimæ dira voragine sorberi.

*Pauci solliciti de salute publica.*

Vix tamen *tam longis temporibus* de illa tantis ex periculis eruenda, in tranquillumque portum perducenda, aliquis cogitavit. *Rarus* est, qui ejus vicem doleat, aut qui de illius sit salute sollicitus.

*Præsides Ecclesiæ salutis publicæ prodigi.*

*Dormit nauclerus, dormiunt remiges*, & in tanto tamque periculoso naufragio *torpentes* sopiuntur. Est sane, ut verbo dicam Virgilii: Est iste *consanguineus lethi sopor*. Quis enim, nisi sensus inops, navi in tali constituta tempestate, cum capitis sui periculo in ea dormiat? Quæ autem alia res hanc plagam crudelissimæ

*Negligentia antistitũ Ecclesiæ.*

mæ divisionis intulit Ecclesiæ, nisi *sopor ministrorum ac gubernatorum?*

Seminaverat homo Christus bonum semen in agro suo. Cum autem (juxta Evangelicam parabolam) *dormirent homines*, venit inimicus homo & superseminavit Zizania in medio tritici, & abiit. Ecce quomodo seminator Zizaniorum, tempus *soporis* ac *negligentiæ colonorum* ad spargenda suæ nequitiæ semina vigilanter explorat? Noctem quippe, quæ tempus somni est, & tenebras, princeps tenebrarum diligit. Unde & *noctem* Propheta metuens, propter hostiles insidias, ad dominum clamat: *Custos quid de nocte?* In mari siquidem magno & spacioso mundi hujus, cantu Syreno & dulcisono delectati *obdormiscimus.* Hoc est, si quis metaphoram non intelligit, dum *rerum temporalium* blanda & fallaci *suavitate* nimium capimur atque allicimur, in hisq;, *patriæ obliti*, requiem quærimus, quasi in molli strato, languido inertique *ocio torpescimus*: Et qui vigili cursu ad patriam tendere debueramus, dulciaque Syrenum carmina, perniciose blandientia, surda velut aure vitare atque declinare, illis capti atque consopiti, tum patriam fugimus, tum in periculum exitiale pertrahimur. *Sopitis* autem *gubernatoribus*, quis *navem periclitari* miretur, quæ ductu ac regimine destituta, ac ventis undique permissa, facile in Syrtes aut scopulos aut vastos gurgites incurrit.

*Negligẽtia præfectorum causa corruptionis.*

*Voluptates præferuntur publicæ rei studio*

Quomodo autem navi periclitante, nos à periculo liberabimus? Si in navi steterimus, nobis cum illa pereundum est: Sin vero extra evagemur, salus nos effugit. Cum extra navem Ecclesiæ nulla sit salus. *Nisi enim in navi manseritis, salvi esse non potestis*, verba sunt *Pauli in Actibus Apostolicis.* Una nobis est ratio, una spes salutis, ut & *in navi simus* & *in illa non dormiamus*, sed ad nostram & illius salutem vigilemus, ipsosq; *dormientes rectores*, voce, precibus, instantia, pulsu denique & magno clamore excitemus: Discipulorum formam exemplumque secuti, qui valida jactati tempestate, Dominum in navi dormientem trepidi atque conterriti excitaverunt. Dormiebat autem Dominus corpore, veritatem in se *nostræ infirmitatis* insinuans: Mente autem divinitateque vigilabat, qui per se ipsum in canticis loquitur: *Ego dormio & cor meum vigilat. Nautæ* autem *nostri*, quibus Catholici est navigii commissa custodia, non tam corpore, quam *mente dormiunt:* Suæ curæ, suæ custodiæ, sui oneris atque officii, sui postremo nostrique periculi immemores: Quos tamen vigilare oportuerat, illumque diligenter meditari versiculum: *non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Sed si *illi* in tanto naufragio dormire non metuunt, numquid & *nos* debemus cum illis somniculoso torpore resolvi, totamque ratem, totamq; vecturam fluctibus oppressam demergi permittere?

*Ecclesiæ corruptio non celanda.*

Hactenus, *Rex Clementissime*, te ab hujus periculosissimi operis congressu ætas excusavit, somnumque tibi aliquamdiu pueritia indulsit, nondum ad tantas res intelligendas confirmatis animi viribus. Quamdiu autem ætas imbecillior te vacare coegit, nos ab iisdem etiam vacare, & quodammodo *tecum quiescere necesse fuit*, qui sine te duce ac signifero parum poteramus.

*Rege minorenne parum agi potest.*

Sed numquid qui dormit non adjicit, ut aliquando consurgat? Expergiscere tandem aliquando, *Princeps Illustrissime.* Consurge, somnumque, puerilia desideria, juvenilesque curas abjice, cum matura ætate animos indue.

*Animus additur Regi ad emendationem Ecclesiæ.*

*Aggredere & magnos jam jam maturu honores.*

Aperi oculos tuos, & vide, in quanto versere periculo, in quanto nos & sancta Ecclesia, & fides Catholica, imò orbis universus. Tuum est, his mundi mederi languoribus, his Ecclesiæ cladibus subvenire, fidem tueri, pacem quærere, malum furiale schismatis abolere.

Æmulare *virtutem majorum* tuorum Illustrissimorum, qui pro Ecclesiæ defensione nullum laborem recusaverunt, nullum periculum adire timuerunt. Sit hoc gestorum tuorum, quæ te multa & gloriosa manent, initium, & tam faustum prosperumq; principium cæterorum sit operum tuorum felix auspicium. Noli in tua fama & gloria, quæ te tua terra, quæ gentibus incoli-

*Virtus majorum æmulanda.*

tur, ſublimen prædicat, hanc labem, ut ſancta Eccleſia, à tuis *clariſſimis atavis* egregie dotata, potenter protecta, latius ampliata atque propagata, excellenter ac mirifice illuſtrata, turpi miſerabilique ruina decidat. Succurre parenti fili. Rex reginam adjuva, liber captivam libera, ſoſpes ægram ſana, miles invictâ fortitudine militanti auxiliare: Tunicam Chriſti inconſutilem, quam nec cruenti milites ſciderunt, per *impios & carnales Chriſtianos* nefaria *ambitione* laceratam, reſarcire ſtude.

Nec te *labor* terreat reiq; *difficultas.* Facilè opus expletur, in quo *Chriſtus* operator adeſt, comes, auctor, adjutor. Ubi autem ille adjutor erit, ſi in *ſponſæ ſuæ* negotio non fuerit? Quid dico ſponſæ ſuæ, cum *ſuo* potius dicere debuerim? Suum namque eſt, quicquid ſponſa virtutis, quicquid gratiæ, quicquid fructus & bonitatis, quicquid pacis, quicquid ſalutis, quicquid honoris & dignitatis, quicquid denique unitatis & concordiæ habet.

*Auxilium divinum in emendatione promittitur.*

Quis ergo illum non adfuturum ſuo operi & negotio crediderit, cujus ipſe non ſolum adjutor, ſed principalis opifex, motor & ductor eſt? In virtuoſo enim quolibet opere, Dei magis dici debemus adjutores, quam ille adjutor noſter: Quamvis utroque locutionis genere ſcriptura utatur. Sed illa eſt in omni actione principalior cauſa, quæ cæteras ad agendum prævenit, ac præmonet, & quæ illas etiam in agendo dirigit, cæteræ autem velut miniſtræ illi ſubſerviunt. Inde eſt quod per Paulum clara voce dicitur: *Dei adjutores ſumus.*

Summa autem dignitas, Deo *ſervire*, Deiq́ue adjutores eſſe. Si illi ſervire regnare eſt, quos magis illi ſervire decet, quam eos, qui volunt & gaudent *regnare.* Hinc eſt, quod ad Reges Propheta ait: *Servite Domino in timore.* Quod autem acceptabilius ſervitium potes illi facere, quam ſuam ex tanta calamitate *Eccleſiam liberare.*

Poterat ille Eccleſiam continuo ſolo juſſu, imo ſolo dictu, imo etiam ſolo nutu liberare: Qui *omnia dixit, & facta ſunt: Et omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra.* Sed *non ſolus* hoc vult agere: Verùm homines in tam glorioſo opere, ſocios atque adjutores habere: Ut inde ſibi apud ſe meritum comparent, apud homines laudem honoremque acquirant. Vide quantos inde fructus ſis conſecuturus, & noli te fruſtra laboraturum æſtimare.

*Deus agit per me-*

*diis in terris.*

Incipe igitur, o pugil Eccleſiæ invicte, incipe. Quid? usque ad hæc tua tempora Deus te intactum, integrumq; ſervavit, ut perfectum integrumque honorem inde reportares, nec tuorum anteceſſorum gloria in Eccleſiæ ſubventione fraudareris.

*Inchoandum.*

Nec defuturum tibi *hominum* crede *auxilium.* Mox enim ut ad hoc te adſpirare univerſorum cætus fidelium agnoverit, tibi Reges, tibi Proceres, tibi exteræ nationes adjungentur, qui tuum in hac re fideliſſimum ductum jamdudum parate ac voluntarie expectant. Quicquid autem ſingulis erit induſtriæ, quicquid virtutis, & facultatis & potentiæ, libenter impendere curabunt. Adeo cujuslibet fidelis animus hujus boni optatiſſimi flagrat deſiderio votiviſq; accenditur ardoribus.

*Bonis cœptis favent boni.*

Procul autem ſit à tuis moribus, ut tam pia fidelium vota irrita facias, ſpemque ingentem in hac materia de te conceptam velut caſſam atque inanem evacues.

Unum auſim dicere, cuivis mortalium utilius fuiſſe, non naſci, quam *hujus nefandæ diviſionis* fautorem atque alitorem permanere. Nonne autem fautor quodammodo eſt, qui in Eccleſiæ pacificatione ſuam operam ſuumque laborem, vel apte impertiri denegat, vel inerti negligentia diſſimulat?

*Diſſenſio publica ante Conc. Conſt. in Eccleſia.*

Nec iſta propterea, *Rex optime*, dixerim, quod de *tua regia majeſtate* tale aliquid ſuſpicer. Abſit, ut de tua optima natura, ſuo generoſo inſtinctu ad omne bonum inclinatiſſima, tale aliquid ſiniſtri ſentiam. Sed idcirco ea dixi, ut, ſi qui tam infeliciter nati eſſent homines, qui hanc ſacratiſſimam *concordiam* turbare atque impedire conarentur, apertius videas, in quantum ſe damnationis barathrum præcipitent, ne venenato talium ſermone, peſtifera ſuaſione, deludaris. *Datum Pariſiis.*

CAP.

# CAP. II.

## *De acribus* CLEMANGII *calcaribus*, BENEDICTO XIII. *ſ. Petro de Luna, Pontifici recens in Gallia creato, additis, quibus eum ad tranquillitatem publicam conciliandam & mores* Eccleſiaſticorum corruptos emendandos *incitavit.*

NAta ſub *Urbano* VI. & *Clemente* VII. Pontificibus, in *Italia* & *Gallia* ſedentibus, acerba *diſidia*, ſummum ſibi in Eccleſia faſtigium utroque unice arrogante. Natique ſub his *depravatiſimi Eccleſiæ mores:* Ut ſurſum deorſum ferri jam viderentur univerſa. Propullulaverat, teſte *Vrie*, publica ſub Urbano *Simonia, ſacrorumque nundinatio, cleri faſtus & arrogantia, avaritia eorum inexplebilis.* *Ætas Eccleſiæ prava ante Concil. Conſt. ſub Urbano VI.*

Verùm illa *Urbani* in Italia & Clementis in Gallia *ætas*, etſi *inurbana* ſatis & inclemens, ſequentibus tamen proxime comparata urbana & clemens dicenda. Quæ cum effluxiſſet, orta ſub *Bonifacio* IX *& Benedicto* XIII. ætas pejor, imo maledicta, judice noſtro *Vrie, lib.* 3. *diſt.* 7. *fol.* 48. *Secunda ætas*, inquit, *iſtius ſchismatis cœpit ſub Bonifacio. Sed illa pejor, pravior & nimis ſcelerata. Nam tunc illius ætate, qua regnabat, floruit avaritia. ſuccrevit ſimonia, & cetera mala, imo peſſima. Sub eo mala initium fortitudinis ſuæ acceperunt.* Quod paucis, non tamen abſque gravi indignatione, confirmat, *lib.* 4. *diſt.* 1. *fol.* 180. *Bonifacius* IX. *avaritia illectus, totam fœdavit Chriſtianam dignitatem.* *Ætas pejor ſub Bonifacio IX.*

Hoc igitur Bonifacio in Italia creato, in Gallia à Clementis obitu dignitate Papali eminuit *Petrus de Luna, Hiſpanus, Arragonenſis, Benedictus* XIII.

Hic *Petrus de Luna* à doctrina virtuteq; ante dignitatem Papalem inſignia ſuo tempore meruit encomia. Ut ab eo in ſedem Pontificalem Avenioni evecto ſibi ſponderent viri boni opem, calamitati Eccleſiaſticæ ferendam.

Hoc igitur fine *Clemangius* noſter, Pariſiis degens, recens creato huic Pontifici Avenionenſi devotas ſcripſit literas An. 1394. quibus animum porro adderet ad diu deſideratam in Eccleſiaſticis *morum emendationem* ſuſcipiendam, indeque *pacem publicam* procurandam.

Ante verò quam *calentia* audiamus *Clemangii vota*, *genium* ac *mores* hujus *Petri de Luna*, quibus *ante adeptam dignitatem Papalem* inſignis fuiſſe fertur, contemplari par fuerit. Ut conſtet, qui factum, ut *Clemangius* tam confidenter novum hunc Pontificem ad publicam Eccleſiæ corruptæ emendationem hortaretur. Deinde, ut judicet lector, an priſtinos ſuos mores in thronum papalem ſecum advexerit, an cum honoribus mores animumque mutaverit. Præcipue, cum conſtet, unum hunc Pontificem maximam creaſſe poſtmodum Eccleſiæ moleſtiam, qui artibus circumvenire totum orbem, conſilia regum ſalubria eludere, & vel blanditiis vel armis declinare univerſalis Conſtantienſis Concilii juſſa contenderit. Quam illius pertinaciam *Vita Petri de Luna ante Papatum acta.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciam, mirasque artes, uti *Acta Concilii Pisani & Constantiensis* abunde testantur, ita *Theodericus Vrie* graphice depinxit, *lib.7. dist.6. fol.186. & libr.8. dist.5. fol.205. 206. & dist.6. fol.207. seqq. & dist.7. f.211. & dist.8. f.213.*

Delineare verò rectius hunc *Petrum de Luna Cardinalem*, ad fastigium dignitatis Ecclesiasticæ evectum, haud poterimus, quam adhibitis coloribus, ab illustri *Stephano Baluzio* novissime suppeditatis, ex antiquis tabulis magno studio depromptis.

*Petrus de Luna ingenio polluit,*

Memorat nimirum *Baluzius in Notis* ad *Vitas Paparum Avenionensium, fol.* 1182. *Petrum de Luna, Decretorum Doctorem, hominem* fuisse *ingeniosum*, judice experto, & in curia Romana tunc temporis versatissimo, *Theodorico à Niem*: Qui à multis ob peritiam & virtutem diligeretur atque laudaretur. *Apprime eruditus* habitus *in omni fere scientia*, ex sententia *Johannis Nideri* Theologi, qui itidem illa ætate vixit, & Concilii Constantiensis ac Basileensis fata vidit, in opere historico, *Formicarii* nomine olim insignito, novissime *Auspiciis Serenissimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI* hic Helmstadii luci reddito, & *De Visionibus ac revelationibus* inscripto, iterumque hoc anno *Operis Historici ac Moralis*, quo illius seculi facies descripta, charactere ornato, p. 287.

*doctus,*

*religiosus,*

Froissardo Petrus de Luna Cardinalis audit *vir valde* religiosus, *sanctus, & vitæ contemplativæ addictus.* Petri Abbatis S. Facundi testimonium de Petro de Luna addit *Baluzius*, qui Cardinalem Gebennensem ceteris Cardinalibus dicentem audiverit ante Urbani VI, electionem: *Multos Cardinalium illius temporis dignos corona Pontificali, interque eos Cardinalem ex Arragonia Petrum de Luna, qui vir bonus vitæq; probæ, etsi valdè juvenis.* Menendus quoque Episcopus Cordubensis, cum ante ingressum conclavis Cardinales dispexissent *de viro Papali fastigio digno*, dixisse fertur, in dissensu *primas tulisse Cardinalem de Luna. Alvarus Martini* de integritate Petri de Luna ex Cardinali Gebennensi hoc retulisse dicitur testimonium: Cum omnes reliqui Cardinales, Anagniæ agentes, in Urbanum sextum consentire nollent, unum Cardinalem Petrum de Luna sibi servasse ulteriorem disquisitionem juris, *eo quod nimis esset conscientiosus.* Quam conscientiæ suæ puritatem pluribus dein coram Gebennensi Cardinale testatus ipse Petrus de Luna.

*Cardinalis juvenis,*

*conscientiosus*

Ex quibus testimoniis adductis *Baluzius* colligit, Petrum de Luna *usque ad ea tempora* existimatum fuisse virum eruditum & bonæ famæ.

Repudiat dein *Baluzius* de Petro de Luna censuram Alphonsi Eremitæ apud Odoricum Rainaldum, eum eruditum fuisse Doctorem & magnum in scientia, sed *optandum, eum tantum fuisse in profunda, humili, & non ambitiosa conscientia.*

*Ambitiosus habitus.*

Multo minus admittit *Baluzius* Gregorii XI. cum Petrum de Luna crearet Cardinalem, publicum de eo affatum: *Caveas, ne tua luna patiatur Eclipsin.* Eo quod *calliditatem* Petri, *sophismatibus verbisq; fallacibus imbuti*, cognovisset. Quam sententiam ex eo refellit *Baluzius*

*Augurium de Petro de Luna.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*zius*, quod si Gregorius XI. Pontifex *fraudulentum* istum Petri de Luna *animum* cognovisset, Cardinalem eum non fuisset creaturus. Ut *Spondani* potius conjecturæ sit adstipulandum, qui autumet, illa sic esse confícta ex postremis Petri de Luna facinoribus, quando Pontifex factus omnium consilia ac voluntates eludere artificiose didicerat. Cui rei testem advocat *Baluzius* Theodoricum à Niem, qui à Gregorio Cardinalem hunc factum ajat insignium ejus virtutum ac meritorum consideratione.

Lectoris sagacis judicio relicta sunto universa, qui pro suo ingenio exploret, an simulandi artis peritissimus *Petrus de Luna*, cujus documenta Pontifex summus factus irrefragabilia dedit, ambitionem, & ad apicem Papalis dignitatis solertem contentionem, consiliaque in omnem fortunam mutanda haud obscure præ se tulerit *Cardinalis*, quod subodorati plures coætanei, sed premendum rati, an demum in throno cum honore mores commutaverit. Vividissimi certe ingenii fuerit, in omnem fortunam compositi, gloriæ avidissimi, dignitatis tenacissimi, & spem opinionemque aliorum eleganter fallere docti.

Ceterum à Gregorio *Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Cosmedin* factus *Petrus de Luna* exeunte A. 1375. Proxime statim sequenti A. 1376. cum Promotore suo Gregorio XI. *Romam* profectus. Ubi palatium suo titulo conforme optime instruxisse ac resuscitasse dicitur. *Cardinalis creatus Anno 1375.*

Ab *obitu Gregorii* A. 1378. cum Cardinales consilia agitarent de novo Pontifice creando, noster dixisse fertur, notante *Baluzio*, se in denominatione Papæ nihil contra conscientiam suam facturum. Quod utro intellexeris modo, callidum sapit ingenium.

Ex quo conclave ingressi, *d.* 8 *April.* aëre sereno *fulmen* inter tonitrua conclave tetigisse ex aliis refert *Baluzius*, & quidem *cameram Petri de Luna feriisse*, lumine eam replendo ac nonnihil inflammando, absque omni tamen damno Petro de Luna aut rebus ejus illato. Unde collegerint aliqui, eum futurum papam. Etsi alii duo cubicula fulmine tacta dixerint, ex quo aliud ortum augurium, Cardinalem Petrum de Luna & Cardinalem Gebennensem, cujus itidem conclave fulgure illustratum, fore Antipapas. Ridet autem has *fabulas* cum *Spondano* vir magnus. Maxime, cum alii in artem diabolicam magicamve Urbani VI. hoc fulmen derivare non dubitaverint. *In electione novi Pontificis camera Petri de Luna in conclavi electorum fulmine tacta.*

Quod igitur urgente populo Romano, uti *Vrie Hist. Conc. Const. lib. 2. dist. 6. f.* 40. 41. pluribus recensuit, Romani aut Italici sanguinis Papa esset eligendus, nonnullorum consilium, in gratiam Romanorum aliquem Papam tantisper salutandum, prorsus improbasse fertur, his verbis: *Se vitulum conflare nolle, aut genua coram Baal flectere: Se unum genuinum expectare Papam.*

In ipsa electione *Urbani VI.* primam ei vocem à Petro de Luna datam esse, observat *Baluzius*. Electione facta, cum obstrepentibus Romanis Cardinales è conclavi diffluerent, aliis se extra urbem con- *Elegit Urbanum VI. Romæ.*

 feren-

ferentibus, aliis in urbe domum petentibus, in his Petrus fuisse de Luna notatur, qui equo, etsi non absque discrimine vitæ, domum vectus. Ut adeo maneret Romæ Cardinalis Petrus de Luna, donec in thronum eveheretur Pontifex Urbanus VI.

Inter citatos autem ad *Urbanum* in thronum evehendum Cardinales (*Vide Vrie l. 6. f.* 41.) invitus tandem comparuisse dicitur Petrus de Luna. Unde conjicit *Baluzius*, Petro de Luna *scrupulum* subnatum de *legitima Urbani VI. electione*, quæ vitio facta non valeret. Scripto quoque dein, re omni accuratius expensa, electionem illam prorsus improbasse, qui erat genius in omnem fortunam versatilis, novique semper consilii haud expers.

*De legitima Urbani VI. electione subdubitavit.*

Indubitato tamen asseverat *Baluzius*, ultimum aut penultimum ivisse Anagniam Petrum de Luna, quo reliqui Cardinales sensim confugerant, novorum in ancipiti negotio consiliorum capiendorum causa, notante & nostre *Vrie*, *l. c.* Memorabile verò, quod alii addunt, monente Baluzio, eum frustra quid ab Urbano VI. petiisse, indeque animo motum dixisse: *Quare ego stabo hic cum Domino nostro? Quia ipse nihil facit de his, quæ peto. Certe non servirem Deo, si non faceret mihi bonum.*

*Votorum apud Urbanum VI. non factus compos eum deseruit.*

Quas impias voces comparati ad apostasiam animi indices fuisse ex Rainaldo observat *Baluzius*.

Mox *die* 20 *Sept.* Cardinalis *Robertus Gebennensis* in Gallia electus *novus Papa*, *Clemens VII.* dictus. Qui ex tempore suæ electionis rationem aliis Regibus atque Principibus aperuit.

*Novum Pontificē in Gallia Clementem VII. sectatus est.*

Ab hoc Clemente VII. novo in Gallia Pontifice, Petrus de Luna in Hispaniam ablegatus, *ult. Dec.* Egit & *Barcinoni*, ab Hispaniæ Regibus non ante admissus, quam quis duorum illorum Pontifex verus esset, cognovissent. Quapropter aliquamdiu in Hispania hæsit, non ut Cardinalis, vel legatus, sed ut *regnicola*. Quo tempore contigisse creditur *disputatio solennis R. Schem Tof*, Judæi Hispani, *cum Petro de Luna Cardinali Arragonensi*, de Messia. Donec Clemens ab Hispanis reciperetur, existente in Hispanorum conventu Petro de Luna.

*Clementis VII. in Hispaniam legatus fuit.*

A. 1394. missus à Clemente VII. Lutetiam, non ut schisma propagaret, sed ut partes Clementis tueretur, cum ibidem ageretur de modo Ecclesiam ad unionem reducendi. Atque tunc quidem Petrum publice defendisse *viam cessionis*, tanquam optimam, scribit *Baluzius*.

*Lutetiam ablegatus Viam cessionis à Papatu laudavit.*

*Panischolæ* insignem & *locupletem* habuit *Bibliothecam*, referente *Baluzio*, cujus multi codices in *Bibliotheca Colbertina* hodie extent.

*Insignem Bibliothecam habuit.*

*Patre* usus viro illa tempestate clarissimo, *Johanne Martinez de Luna*, Barone de Ilveca, matre *Maria Perez de Gotor*.

*Parentes ejus.*

Cum tandem *eodem anno* 1394. Clemens VII. Avinione diem obiret supremum, ab ejus obitu laudatus *Petrus de Luna* Cardinalis *electus Papa*. Omnis illa res, mortis in *Clemente*, resurrectionis aut exaltationis in *Petro de Luna*, sequentem in modum gesta est, com-

*Creatus Papa.*

commemorante *Baluzio*, *l. c. f.* 562. *seqq.* ex vetusto autore, oculato teste.

ANNO Domini M CCC XCIV. die Mercurii, quæ fuit
„ *XVI. Septembris*, in palatio pontificali Avinionensi *mortuus* est Do-
„ minus *Papa Clemens VII.* natione Gebennensis, ex Comitibus Ge-
„ bennensibus, qui obiit dicta die *circa horam sextam.*

Et *ea die* hora Vesperarum in ipso palatio congregati sunt
„ infra scripti Domini *Cardinales*: quos ego in camera paramenti
„ dicti palatii congregatos vidi, videlicet:

## Episcopi Cardinales.

„ D. *Petrus de Corsinis* de Florentia, Cardinalis *Portuensis.*
„ D. *Guido de Maloesso* Lemovicensis, Cardinalis *Prænestinus.*
D. *Johannes de Grangia* Burgundus, Cardinalis *Tusculanus.*
„ D. *Nicolaus de Branchacius*, de Neapoli, Cardinalis *Albanensis.*
„ } omnes præsentes.

„ D. *Jacobus de domo regali* de Arragonia,
„ Cardinalis *Sabinensis.*
„ D. *Johannes de Novocastro* Burgundus, Cardinalis *Hostiensis.*
„ } Hi ambo absentes erant, non tamen legati, sed pro suo solatio, primus in Arragonia, in Ecclesia sua Valentinensi, secundus in Lothoringia.

## Presbyteri Cardinales.

„ D. *Guillelmus de Agrifolio* Lemovicensis, Decanus collegii,
„ tituli sancti Stephani in Cœlio monte.
„ D. *Leonardus de Giffono* de regno Siciliæ, frater Minor,
„ tituli sancti Sixti.
„ D. *Bertrandus* Lemovicensis, dictus *Hierosolymitanus*, tituli sanctæ Pudentianæ.
„ D. *Thomas de Pistorio* Tuscus, dictus *Neapolitanus*, tituli
„ sanctæ Praxedis.
„ D. *Johannes de Parma* Lombardus, dictus *Venetiarum*, tituli sancti Cyriaci in Thermis.
„ D. *Johannes de Murolio* de Alvernia, tituli sancti Vitalis.
„ D. *Petrus de Tureyo* Lugdunensis, tituli sanctæ Susannæ.
„ D. *Johannes de Bruniaco* Gebennensis, dictus *Vivariensis*,
„ tituli sanctæ Anastasiæ.
„ D. *Martinus de Salva* de Navarra, dictus *Pampilonensis*, tituli sancti Laurentii in Lucina.
„ D. *Johannes de Vivario*, dictus *Auxitanus*, tituli sanctorum Johannis & Pauli.
„ D. *Petrus* Lugdunensis, dictus *Anicensis*, tituli sancti Petri ad vincula.
„ D. *Guillermus de Vergeyo* Burgundus, tituli sanctæ Cæciliæ.
} omnes præsentes.

„ D. *Petrus* Cardinalis Hiſpaniæ. Hic non habuit titulum, quia
„ nunquam fuit in curia, & creatus de novo.

## Diaconi Cardinales.

D. *Hugo de ſancto Martiale* Lemovicenſis, ſanctæ Mariæ in Porticu.
„ D. *Petrus de Vernbio* Lemovicenſis, ſanctæ Mariæ in via lata.
„ D. *Petrus de Luna* Arragonenſis, ſanctæ Mariæ in Coſmedin.
D. *Amedeus de Saluciis*, ex Marchionibus de Saluciis, ſanctæ Mariæ novæ. { Iſte hac die non erat præſens, ſed in beneficio ſuo de Bolina. Venit tamen poſt & interfuit ſepulturæ
„ D. *Galeotus de Petra-Mala* de Arecio in Tuſcia, ſancti Georgii ad velum aureum.
„ Die Veneris, *XVIII. Septembris*, ſepultura facta fuit corporis,
„ hora ante tertiam. Et receptum fuit corpus de capella magna palatii, & portatum ad ſanctam Mariam Eccleſiæ cathedralis Avini-
„ onenſis, ubi congregati erant Cardinales. Celebravitque Miſſam
„ *Dominus de Giſſono* Cardinalis, & fecit ſermonem.
„ Completa novena, omnes prædicti Domini Cardinales præſentes numero XXI. intrarunt *conclave* die ſabbati *XXVI. dicti menſis*,
„ in veſpere. Qui unanimiter & concorditer *elegerunt in Papam prædictum Dominum Petrum de Luna*, ſanctæ Mariæ in Cosmedin, *die*
„ *Lunæ*, immediatè ſequenti vigiliam dedicationis ſancti Michaelis.
„ Qua die hora prandii exiverunt conclave, & duxerunt dictum Dominum Papam ad noſtram Dominam de Dominis Eccleſiam cathe-
„ dralem. *Fuit impoſitum ipſi nomen Benedictus Papa XIII.*
„

## Alia ex vetuſtis monumentis petita deſcriptio vitam & thronum papalem deferentis Clementis VII. & in vacuam mox ſedem evecti BENEDICTI XIII.

„ *ANno* à nativitate *M. CCC XCIV.* die Mercurii, *XVI. Septembris*,
„ inter nonam & decimam horam, fel. rec. Dominus Clemens Papa VII. anno ſui pontificatus XVI. animam ſuam creatori ſuo red-
„ didit. Die Veneris immediate ſequenti, corpus ejus traditum in Ec-
„ cleſia Avinionenſi juxta ſepulturam Domini Johannis XXII. Eccleſiaſticæ ſepulturæ, Tunc in collegio erant *viginti quatuor Cardina-*
„ *les.* Quorum *viginti & unus* erant *præſentes* in curia, videlicet,
„ Domini
„ *Petrus* Portuenſis, dictus *Florentinus.*
„ *Guido* Peneſtrinus, dictus *Pictavenſis.*
*Johannes* Tuſculanus, dictus *Ambianenſis.*
„ *Nicolaus* Albanenſis, dictus *Cuſentinus.*

*Jaco-*

" *Jacobus* Sabinensis, dictus *de Valentia*, in Arragonia. { Hi erant
" *Johannes* Ostiensis, dictus *de Novocastro*. { absentes.
" *Guillelmus* tituli sancti Stephani in Cœlio monte, dictus *de Agrifolio*.
" *Leonardus* tituli sancti Sixti, dictus *de Giffono*.
" *Bertrandus* tituli sanctæ Potentianæ, dictus *Hierosolymitanus*.
" *Thomas* tituli sanctæ Praxedis, dictus *Neapolitanus*.
" *Johannes* tituli sancti Cyriaci in Thermis, dictus *Venetiarum*.
" *Johannes* tituli sancti Vitalis, dictus *de Murolio*.
" *Petrus* tituli sanctæ Susannæ dictus *de Tureijo*.
" *Johannes* sanctæ Anastasiæ, dictus *Vivariensis*, ViceCancellarius.
" *Petrus* sancti Petri ad vincula, dictus *Aniciensis*, Pœnitentiarius.
" *Martinus* sancti Laurentii in Lucina, dictus *Pampilonensis*.
" *Johannes* sanctorum Johannis & Pauli, dictus *Auxitanus*.
" *Guillelmus* sanctæ Cæciliæ, dictus *de Vergeijo*.
" *Petrus*, qui fuit Episcopus Oxomensis, dictus *de Hispania*, non habebat titulum, & erat absens.
" *Hugo* sanctæ Mariæ in Porticu, dictus *de Sancto Martiale*.
" *Petrus* sanctæ Mariæ in via lata, dictus *de Vernhio*.
" *Petrus* sanctæ Mariæ in Cosmedin, dictus *de Luna*.
" *Amedeus* sanctæ Mariæ novæ, dictus *de Salutiis*.
" *Galeotus* sancti Gregorii ad velum aureum, dictus *de Petra-Mala*.

" Qui quidem Domini Cardinales præsentes die sabbati XXVI. ejusdem mensis modicum post horam vesperarum *conclave intraverunt*. In quo, die lunæ XXVIII. ipsius mensis, prædictum Dominum *Petrum sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem* in summum Pontificem elegerunt, qui *Benedictus Papa XIII.* voluit nominari.

" Et subsequenter die sabbati *tertia mensis Octobris* prædictus Dominus *Benedictus* fuit per dictum Dominum Guidonem Episcopum Penestrinum *in Presbyterum ordinatus*.

" Et postmodum die Dominica quæ fuit *XI. die mensis Octobris*, idem Dominus noster in magna Capella *missam celebravit*. Intra cujus solemnia per dictum Dominum Johannem Episcopum Ostiensem *consecratus* extitit.

" Et postea, dato prius in fine Missæ presbyterio consueto, fuit per dictum Dominum Hugonem Sanctæ Mariæ in porticu in *Diaconum Cardinalem coronatus*.

" Et deinde, more in talibus *fieri consueto*, *per villam Avinionensem equitavit*.

# CEDULA CARDINALIUM
## CONGREGATORUM IN CONCLAVI,
in quo Benedictus XIII. electus est.

„ ANno Domini M CCC XCIV. die *XVI. mensis Septembris*, felicis
„ recordationis Dominus Clemens Papa hujus nominis VII. obiit
„ Avinione, pontificatus sui anno XVI. Cujus corpore tradito sepul-
„ turæ, Domini Cardinales pro futuri electione Pontificis celebranda
„ conclave intra palatium apostolicum intraverunt. Ibidem cupien-
„ tes pestiferum schisma, nunc proh dolor in Ecclesia Dei vigens, pro
„ viribus abolere, & animarum saluti providere, quandam *cedulam*
„ *confecerunt* & ordinaverunt. Cujus tenor sequitur de verbo ad ver-
„ bum.

„ NOS OMNES & singuli sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
„ les, congregati pro electione futura in conclavi, ante altare, in quo
„ missa communis celebrari consuevit, pro Dei servitio, unitate Ec-
„ clesiæ suæ sanctæ, ac salute animarum, fidelium omnium, promitti-
„ mus, & juramus ad sancta Dei Evangelia, corporaliter per nos ta-
„ cta, quod absque fraude, dolo, & machinatione quibuscunque, ad
„ unionem Ecclesiæ & finem imponendum schismati, proh dolor in Ec-
„ clesia nunc vigenti, quantum in nobis erit, laborabimus fideliter &
„ diligenter: Et per nos, quantum ad nos pertinet seu etiam pertine-
„ bit, dabimus pastori nostro & gregis dominici ac vicario Christi,
„ Domino nostro futuro, qui erit pro tempore, auxilium, consilium
„ & favorem: Nec ad impediendum vel differendum præmissa dabi-
„ mus consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel oc-
„ culte. Et ista omnia & singula, & alias etiam ultra præmissa omnes
„ vias utiles & accommodas ad utilitatem Ecclesiæ & unionem prædi-
„ ctam ejusdem, sanè & veraciter, sine machinatione, seu excusatio-
„ ne, vel dilatione quacunque, servabit & procurabit possetenus qui-
„ libet nostrum, etiamsi assumptus fuerit ad apostolatum, etiam usque
„ ad cessionem inclusive per ipsum de Papatu faciendam, si Dominis
„ Cardinalibus, qui nunc sunt, vel erunt in futurum, de iis qui sunt
„ nunc vel majori parti eorundem hoc pro bono Ecclesiæ & unitatis
„ prædictæ videatur expedire.

„ Et ego *Guido Episcopus Penestrinus* supra scripta juravi & promisi, &
„ manu mea me hic subscripsi.

„ Et ego *Johannes Episcopus Tusculanus* præmissa promisi & juravi &
„ manu mea me subscripsi.

„ Et ego *Nicolaus Episcopus Albanensis* præmissa promisi & juravi &
„ manu mea propria me subscripsi.

„ Ego *Leonardus* tituli sancti Sixti *Presbyter Cardinalis* præmissa pro-
„ misi, & manu propria me subscripsi.

„ Ego *Bertrandus* tituli sanctæ Potentianæ *Presbyter Cardinalis* præ-
„ missa promisi & juravi, & manu mea me subscripsi.

„ Ego *Thomas* tituli sanctæ Praxedis *Cardinalis* præmissa promisi &
„ juravi & manu propria hic me subscripsi.

„ Ego *Johannes* tituli Cyriaci in Thermis *Presbyter Cardinalis* præ-
„ missa suprascripta promisi & juravi, & manu mea me sub-
„ scripsi.

Ego

„ Ego *Johannes de Murolio* tituli ſancti Vitalis *Presbyter Cardinalis*
„ ſupra ſcripta promiſi & juravi, & manu mea me ſubſcripſi.
„ Ego *Petrus* tituli ſanctæ Suſannæ *Presbyter Cardinalis* præmiſſa
„ promiſi & juravi, & manu propria me ſubſcripſi.
„ Ego *Johannes* tituli ſanctæ Anaſtaſiæ *Presbyter Cardinalis* juravi &
„ promiſi ſupra ſcripta, & manu propria me ſubſcripſi.
„ Ego *Martinus* tituli ſancti Laurentii in Lucina *Presbyter Cardinalis*,
„ ſupra ſcripta promiſi & juravi ac manu propria me ſubſcripſi.
„ Ego *Johannes* tituli ſanctorum Johannis & Pauli *Presbyter Cardi-*
„ *nalis*, promiſi & juravi ſupra ſcripta, & manu propria me ſubſcripſi.
„ Ego *Petrus* tituli ſancti Petri ad vincula *Presbyter Cardinalis* ſupra
„ ſcripta promiſi & juravi & manu propria me ſubſcripſi.
„ Ego *Guillelmus* tituli ſanctæ Cæciliæ *Presbyter Cardinalis* ſupra ſcri-
„ pta promiſi & juravi, & manu propria ſubſcripſi.
„ Et ego *Petrus* tituli ſanctæ Mariæ in via lata *Diaconus Cardinalis* ſu-
„ pra ſcripta juravi & manu propria ſubſcripſi.
„ Et ego *Petrus* ſanctæ Mariæ in Coſmedin *Diaconus Cardinalis* jura-
„ vi & ſubſcri ſi manu propria.
„ Et ego *Amedeus* ſanctæ Mariæ *Diaconus Cardinalis* juravi & manu
„ propria ſubſcripſi.
„ Et ego *Galeotus* ſancti Georgii ad velum aureum *Diaconus Cardi-*
„ *nalis*, qui prædictam cedulam propria manu ſcripſi & me ſubſcripſi.
„ *Florentinus*, *de Agrifolio*, & *de ſancto Martiale* ſe non ſubſcripſerunt.
„

„ Poſt præmiſſa, Domini Cardinales elegerunt in ſummum Pontifi-
„ cem R. Patrem Dominum *Petrum de Luna Cardinalem Diaconum.*
„ Et demum *anno* Domini M CCC XCV. *die prima menſis Julii*
„ in Villa nova omnes Domini Cardinales prædicti, uno excepto, ſcili-
„ cet Pampilonenſi, in præſentia Dominorum Ducum Bituricenſis, Bur-
„ gundiæ & Aurelianenſis, reputarunt *viam ceſſionis* Domini Papæ &
„ ſui adverſarii *meliorem*, *breviorem*, *faciliorem*, *pro unione aſſequenda*
& magis ſedativam conſcientiarum.
„ Ex prædicta autem *cedula* & deliberatione Dominorum Cardi-
nalium prætactorum orta fuerunt *multa dubia.*

Hæc fide Baluzii ex tabulis antiquis *de Electione Petri de Luna.* Iſtorum *dubiorum* præcipua absq; dubio fuerunt illa, quæ à *Theoderico Vrie* longa ſerie ſunt deſcripta *libro quinto* integro, *f.* 133. *&* *ſeqq.* Eædem quippe conditiones, Gregorio XII. Pontifici Italo recens electo præſcriptæ, vanæ in utroq; fuerunt, & in longiſſimas lites abierunt, neque *Savonenſi colloquio*, neque *Concilio Piſano* terminandæ, ſed in acerba *Concilii Conſtantienſis* remedia ſervatæ.

Quod adeo novus hic Pontifex Avinionenſis *Benedictus XIII.* tam ſancte ad quærendam pacem eſſet obligatus, celebris Galliæ Theologus, *Clemangius* noſter, *literis ad recens creatum hunc Papam Avenionenſem* datis animum ei addere, & ad deſideratam *tranquillitatem, morumq; depravatorum emendationem* calcaria addere laboravit. In cujus mox

*Clemangius novũ hunc Papam Benedictum*

mox curiam Avinionensem ab ipso hoc Pontifice pellectus, *Secretarii* munere ad tempus est defunctus: Donec Benedicti hujus fulmina, in Galliæ Regem vibrata, calamo nostri Clemangii imputata, Clemangio pericula crearent maxima. Quæ & curiam Benedicti & functionem aulicam deserere, sese à dura suspicione excommunicationis Papalis scriptæ purgare, & locum ab insidiis tutum quærere compellerent.

*Ad reformationē hortatus est. Clemangius Papæ Secretarius factus. Exul ex aula papali.*

Hac itaque epistola, adulationis experte, candoris indice, Benedicti XIII. novi Pontificis affectum sibi vel inscius comparasse videtur Clemangius, ut inter suos ministros in aulam eum pertraheret Benedictus. Sed & cum fortuna ansa grandis fuerit infortunii. Uti integritatis hoc persæpe est præmium, cum suâ primum placuerit modestiâ, tanto graviores tandem dare pœnas.

Quemadmodum autem elegantia orationis & pectoris sinceritas Clemangium Benedicto commendarunt, ita definiri non potest, an *hoc* Benedictus occuluerit, uti erat callidissimus, *consilium*, qui *officio aulico* Clemangio oblato *os ei obturaret*, ut & de unione paranda & *moribus Ecclesiæ reformandis taceret*. Quamvis enim hoc quæsiverit, non sane hoc à Clemangio impetravit. Memorabile omnino, quod *Leonardus Aretinus*, Clemangii coætaneus, *Innocentii & Gregorii XII. Secretarius*, scribit de *Johanne Dominici*: Hunc virum doctum & eloquentem in Italia unionem primum ardenter ursisse, mox vero à Pontifice lauto Episcopatus bolo injecto non solum ad silentium perductum, sed & unionem ac pacem publicam pari affectu oppugnare cœpisse.

Elegans hæc querela *Leonardi* meretur ex *MSCto vetustissimo Augustæ Wolffenbuttelensis* hic repeti. *Leonardus Roberto Russo: Per binas jam literas à me petis, quid de Johanne Dominici existimandum sit, variumque de eo apud vos sermonem esse significas. Quid autem ego ad te rescribam de re difficili protinus & ardua? Nihil enim difficilius, quam mentem hominis intueri. Itaque nil dicam ipse de me: Sed qualis sit opinio nostrorum hominum de illo, ostendam. Præstantissimum esse virum, & scientia eloquentiaque eminere, nemo inficiatur. Querela tamen est adversus eum, quod cum ipse inprimis autor suasorque unionis fuisset, ac ceteros omnes ardentissime commoverit, tamen postquam episcopatus illi à Pontifice datus est, quasi medicata offa præclusis faucibus, nihil posthac pro unione sed multa adversus eam videtur suasisse. Atqui nemo, qui primo illum audisset, existimavit, munus Pontificis ab illo non rejici. Accepit tamen ut deprehenditur non ingrate, ac majora sperare illum ajunt, prodita causa, quam prius tam acriter perurgebat. Nos autem ut de mentis illius arcano nihil scimus, sic ea quæ agit molituque, non probamus. Affirmamusque primo ejus ardori & studio hæc posteriora videri contraria, parumque sibi ipsi illum constare. Quod utinam sapientia quadam majori faciat, ac non ambitione. Ego quidem hunc hominem ut scis amo propter excellentiam virtutis. Atque eo magis doleo, ipsum in hanc adversam opinionem hominum incidisse. Nemo est omnium, qui peccare ignorantia illum putet, sed cupiditate animi transversum agi.*

Alia

Alia ſane mens noſtro fuiſſe apparet *Clemangio*, cui collata curiæ Papalis munera os obſtruere manusque reprimere non valuerunt, ut pium priſtinum *in morum emendationem* affectum illis extingui ſineret. Id quod ex ſequentibus epiſtolis abunde conſtabit. Niſi quis forte hoc urſerit, quod Curialis factus, Benedicto devinctus, ejus partes ſemper tuitus, & ſi quid ab ipſis etiam Gallis aut Concilio contra Benedictum tentaretur, conſtanter eum deinceps defenderit. Quod gratitudinis forte potius officium, quàm corrupti donis animi indicium putabimus: Etſi affectio in perſonam ſæpe occulti aliquid trahat vitii, quod modicum in homine merito ab homine diſſimulandum. Inſcriptio epiſtolæ in *MSCto* quoque *Wolffenbüttelenſi* hæc eſt: *Ad Dominum Benedictum, ad Romani Pontificatus apicem recenter aſſumptum, de ſchismatis extirpatione & paſtorali vigilantia admonitio.* En ergo *Clemangii* manum atque frontem.

*Clemangius partes Benedicti occulte ſemper ſectatus.*

## BENEDICTO XIII. CLEMANGIUS.

GRandis, *Pater beatiſſime*, & forſitan multorum exiſtimatione, non abhorrens à temeritate videbitur *audacia*, quod ego humilis & pauperculus homuncio tuæ eximiæ dignitati, tuæque præſtantiſſimæ ſanctitati, ſcribere aggredior. Sic *lucifuga noctua* in ſolis jubar intuitum dirigit, ſua protinus exigua luce illius immenſo fulgore excœcanda. Sic *Pigmeus* in Athlantem ſublimia ſydera vertice pulſantem, *lapis* in magnum montem, *mus* in Elephantem, *hyſſopus* humilis in cedrum aſſurgit. Et, ſi Poëticas fabulas inſerere licet, ſic inefficaci alarum remigio Dædali Icarus in cœlum nititur, & Phaëton ineptus auriga currum Phœbi patris igneum conſcendere non timet. Iſte præceps in Erydanum dejectus, ille ſuo in mare lapſu, *vitreo* [ut ait Horatius] *daturus Nomina ponto.* Sic certant cygnis ululæ, ſic cum Orpheo Tytirus cithara contendit. Sic denique Troilus cum Achille infœlix atque impar congreditur, Dares cum Entello, Antheus cum Hercule.

*Temeritatis notam declinat à ſe Clemangius, qui ad Papã ſcribat.*

Verum, *pater Benedicte*, ſicut & *nomine* diceris, & *re*, ut mea fert opinio, tua inſignis & præclariſſima *virtus*, mihi atque plærisque intra hæc infœlicia tempora, omnium vitiorum fœcundiſſima, mirabilis, ingens tuus ac ſinceriſſimus *affectus*, quo ad pacem & ſalutem publicam tranquillamque Apoſtolicæ naviculæ ſtationem inardeſcis, cui nauclerus es & rector, de excelſo, niſi fallor, immiſſus: Tua præterea in omni laudum genere *fama* celeberrima, latius per orbis ambitum diſſeminata: Tuæ denique innatæ *benignitatis* præſtans *humanitas* ac *mansvetudo*, qua te in commune univerſis, tam puſillis quam majoribus *facilem, affabilem, familiarem* præbes: Mihi hunc auſum tibi ſcribendi præbuerunt, imo vero id à me quodamodo reluctante extorſerunt. Si quid itaq; per me in hoc erratum erit, illis imputabis.

*Commendatio Benedicti XIII.*

Sed *quibus de rebus* tuam ſanctitatem alloqui ordiar? Si te *laudibus ornare* tentem, & in medio conatu ſuccumbam, tibi *aſſentari* voluiſſe fortasſis arguar. Quod nec alteri me feciſſe memini, nec à te utique ducere velim initium. Hoc in primis ne forte aut metuas aut expectes, nequicquam me facturum polliceor: Qui *peſtem* hanc *capitaliſſimam*, Reſpublicas enormiter enervantem, ante omnia à puero ſemper exhorrui. Surgent proh dolor ſatis alii, & multo plures quàm opus eſſet, qui dicendæ veritatis expertes, *cœcaque beneficiorum ambitione* ardentiſſimi, tuis ſtudebunt auribus ſubdole atque fallaciter *aſſentari*,

*Adulationis maculam à ſe amolitur Clemangius.*

*vari*, ne me, illius *artis gnatonicæ* imperitum, meas oporteat in ea re partes immiscere.

*Veritatē scripturę Clemāgius.*

Utinam vel pauci supersint, qui *veritatem, quæ odium parit*, multitudinique hodie hominum inimicam, sed tuo tamen animo amicam, ut arbitror, tibi dicant. De quorum me sorte ac numero, & nunc, & si quando posthac aliud quidpiam scribere contigerit, pro mea virili aperte fore profiteor.

*De officio Pontificis dicturus.*

Non igitur à te beneficia postulatum venio, nec de meo, sed de *tuo profectu* tecum loqui gestio. *Tuum* autem merito dixerim *profectum* eum, qui toti Catholicæ Ecclesiæ communis est, cui regendæ & administrandæ Deo authore præes. Sicut enim Ecclesia tibi desponsata est, sic virtute connubii inter vos initi, communia debent esse inter vos omnia. Ut nihil tuum dicas quod non illius sit: Nihil etiam sui in illa, quod non æque tuum sit.

*De dignitate Papali & muneris celsitudine.*

Multis modis, *Pater beatissime*, is qui antea eras, esse desisti, &, sicut de Saule rege facto dicitur, *in virum alterum mutatus es. Petrus* eras, jam *Benedictus es*, Petrique successor. Sponsi paranymphus ac minister eras, ecce jam habes sponsam. *Et qui habet sponsam, sponsus est*, inquit Baptista. *Homo* particularis eras, homo nunc *communis* es.

*Præclari characteres Pontificis.*

Ne Platonicis idæis in te locum esse putes: Ovis eras, ecce *pastor* jam es, imo Princeps pastorum. Remigis officium in navi gerebas, *gubernator* & supremus nauclerus esse cœpisti: Qui *non* unius tuæ personæ, vel *rerum privatarum, sed totius navis Ecclesiasticæ*, & omnium quæ in ea vectantur, *curam habere* debes.

*Affectuū privatorū expers sit Pontifex. Privatæ rei studiū est publicæ rei damnum.*

Si quæ ergo *privata* tibi erant, (de *votis* loquor & *affectibus*) ea profecto exuere te convenit. Ne quid, quod *bono publico* possit aliquatenus obsistere, in te resideat. *Privati* solent quippe *affectus* bonis plurimum derogare communibus. Dum *cum publico* plærique *detrimento* suæ quærunt *rei familiari consulere*. Quod etsi in privatis quibusque pernitiosum est, in *principe* tamen exitiosissimum, qui debet *tutor* & *patronus* esse *Reipublicæ*.

Ergo memor tuæ sortis, & gradus & vocationis, *communes* in tuo animo fige *affectus*, studia, vota, desideria communia. Quid? In te communia sunt omnia, qui, ut communis esses, tuus esse desiisti, & meus factus es. Quomodo non meus es, qui *pater meus* es, qui *Pastor meus* es, qui denique, ut audenter dicam, *servus meus* es?

Si hæc falsa esse contendis, te ipsum quàm me prius argue falsitatis.

*Pontifex est pater, pastor,*

Annon *pater meus* est, qui me filium vocat? Si tamen vere vocat. Annon *Pastor meus* est, si de Christi grege sum, qui totius gregis Christi se Pastorem profitetur.

*servus.*

Annon *servus meus* est, si servus Dei sum, qui servum servorum Dei se appellare gloriatur.

*Paternus affectus.*

Si itaque *pater meus* es, vel potius, si *pater noster* es, *paternum* in nos *affectum* ostende, filios ama, filios erudi, filios mansvetudine corripe, & in pace educa. Hæc enim sunt vera principia ad patris officia.

*Pastoris animus.*

Si *pastor noster* es, super gregem vigila, illis pastoribus assimilatus, quibus propterea in ortu Salvatoris Angelus apparuit, quia custodiebant vigilias noctis super gregem suum. *Pastoris* erga nos *animum* indue, & non tanquam ovis te ipsum, sed tanquam bonus pastor, tuas oves pascas. Graviter namque apud *Prophetam Ezechielem mali pastores* à Domino redarguuntur, *qui se ipsos non oves pascunt.*

*Pastoris officia.*

Si autem quæris, *Quomodo pascas?* Pasce *verbo*, pasce *doctrina*, pasce ducatu & *exemplo*, pasce temporali *subsidio*. Pasce, bonos fovendo, malos & discolos corrigendo: Pasce, canes habendo, & feras arcendo: Pasce postremo, septa diligenter custodiendo, ne aliquo impiorum impetu rumpantur, & si forte rupta sint, cito reficiantur, ne fracto ovili, prædones irruant, lupi devorent, atque dispergant.

*Pontifex servus cōmunis.*

Quod si *servus* noster es, *ut te esse fateris*, vide, quam minime tuus sis, qui *totius pene mundi servus* esse cœpisti. Servus enim non sui juris est, sed alieni juris & arbitrii: Et quanto plurium est servitio addictus, tanto oportet ut *minus sit suus*.

Atten-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Attende itaque & tecum confidera, quam *duram* atque difficilem sis *provinciam* sortitus, qui *omnium Christi fidelium servus* effectus es. Quam parum tibi vacationis, licentiæ, ac libertatis sit, quam multum oneris ac sollicitudinis impositum, qui *mundo servire* suscepisti, universam Ecclesiam regere, uti animarum salutem, & de universo Christi grege, tuo ministerio commisso, rationem reddere. Cui plus committitur, plus ab eo quæritur. Et ubi crescit administratio, *rationes* etiam *ministerii* crescere necesse est.

*Difficillima functi. Papalis.*

Tanto quippe plurium ratio, per Dominum, cujus vicarius es, bonorumque dispensator, à te exigenda, quanto tu & tui antecessores, ultra *onera* a Domino & Ecclesia pridem imposita, *ampliora, nostris cervicibus imposuistis.* Qui, vacuatis Præsulatuum aliarumque dignitatum Ecclesiasticarum electionibus, sublato præterea à patronis omnibus jure collationum, dispensationem omnium graduum totius Ecclesiæ *ad vestrum revocastis arbitrium.* Utrum salubriter, *pro nobis*, ipsi videritis. Utrum *non utiliter* pro Ecclesia, non est epistolaris angustiæ discutere.

*Onera Ecclesiæ imposita.*

*Jura Ecclesiæ subtracta.*

Esto ergo *fidelis* servus, *prudens, diligens, humilis, obediens.* Creditam tibi dispensationem attente recogita: Voluntatem Domini tui meditare: Præcepta exequere: Flagella pertimesce. Ut a Domino tandem audire possis: *Euge serve bone & fidelis, qui super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

*Virtutes Pontificis.*

Non est tua ista *servitus* vilis alicujus aut abjecti circa nos ministerii, ut inde erubescere debeas: *Honoris* potius & *dignitatis* est & *regalis sacerdotii*, ut verbo scripturæ utar. Quam si recte ad creditarum tibi ovium salutem administraveris, nullum prorsus terrenum imperium isti *egregiæ servituti* æquabitur.

*Servitus Pontificis splēdidissima.*

Si vero illam *ad proprium quæstum*, ad *pompam*, vel ad *fastum*, quod procul a te abfore crediderim, detorseris, *dominarique* & *præesse* quam *prodesse* malueris: Tunc profecto verissime imo vilissime *servus* eris. *Non* quidem, ut in titulo præfers, *servorum Dei*, quibus *imperare* non *servire* contendes: Sed cupiditatis, avaritiæ, superbiæ, libidinis dominandi, ancillarum diaboli, & in summa, tot *dominorum* quot *vitiorum.* Nam teste Domino, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Et rursum primus tuæ cathedræ sessor ait: *A quo quis superatus est, hujus & servus est.*

*In maxima pompa servitus vilissima. Præesse, nō prodesse.*

*Servitus cupiditatum.*

Si autem scire vis, quantum à tuo pectore aliena debeat esse *libido dominandi*, eodem primo pastore docente clarissime cognosces, qui ad te atque ad pastores alios ita loquitur: *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coacte, sed spontanee, secundum Deum: Neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis, ex animo.* Ubi pastoralis officii regulam, quam ab optimo suo præceptore didicerat, paucis verbis eleganter depingit. Cum & inprimis *cupiditatem*, velut *omnium malorum radicem*, maxime à pastoribus extirpandam censuit, & *superbam* clero, cui præsunt, *dominandi libidinem* sustulit, & plebis, per lumen boni operis ac doctrinæ exemplar ac formam esse admonuit. Et nil ficte aut serviliter, aut ex tristitia vel metu, sed omnia vere, syncere, voluntarie, & ex animo facienda demonstravit.

*Dominādi libido absit à Pōtifice.*

Hæc autem idcirco à me dicta sunt, ut intelligas, sicut satis, non dubito, intelligis, etsi *honor* tibi *eminentissimus* accesserit, *plus* tamen *oneris quam honoris*, plus laboris atque periculi, quam dignitatis aut fastigii tibi adjectum.

*Onerosa & periculosa dignit. Papalis.*

Sed libet ex hac generali commonitione, ad aliqua pauca, magis *in specie*, quæ pro tempore & rerum qualitate scribere institui, descendere.

Vides, *Pater beatissime*, non dico *Ecclesia* statum, sed *lapsum*, sed *ruinam*, & lamentabilem desolationem, quæ *schismate* horribilissimo, & omnium quæ fuerunt schismatum pestilentissimo, *anno jam decimo sexto*, cum tanta, quanta omnes cernimus, *spiritualium temporaliumque bonorum jactura*, conteritur. Huic *plagæ* ante omnia te mederi oportet: In hujus curam & sanationem labores tuos, tuas vigilias, tuos

*Ruina Ecclesiæ ante Concil. Const. Publ. Eccles. dissidia ante Conciliū Const. per Benedictū XIII. debant cōponi.*

tuos omnes conatus & ſtudia conferre. Parum prodeſſe poſſunt alii labores, niſi unus iſte præceſſerit. Quid prodeſt ægrotum bene paſcere, qui, quo magis paſcitur, eo magis læditur? Non eget infirmus alimento, ſed medicamento: Non dape, ſed ope, non documento ſed adjumento.

Porro ſi contumaces & indiſciplinatos filios paſtorali volueris ſeveritate cœrcere, nec libere audebis, nec commode poteris. Rebelles adverſum te faciet matris infirmitas. Non audient, non obedient, imperium contemnent, jugum excutient. Fruſtra, *languente capite letaliter vulnerato*, membris aliis, illo omiſſo, cura adhibetur. Nauſeam patiente ſtomacho, moxque injectos omnes cibos emittente, fruſtra alios artus, illo neglecto, regere laborabis, aut alimenti ingeſtione ſuſtentare. Hoc vulnus tuæ chariſſimæ ſponſæ tamdiu *neglectum*, tanto intervallo temporis *incuratum*, te medicatorem expectat & curatorem. Ad hoc te debes exiſtimare à Deo vocatum, à ſpiritu ſancto electum, imo vero in lucem editum. Tibi à Deo ſervata eſt illa gloria, honor iſte, laus iſta clariſſima atque perpetua.

*Diſſidia longa ante Conc. Conſt.*

Exurge ergo Benedicte Dei, ad opus tuum, & ad operationem tuam. Affer optatam mundo *pacis* benedictionem: *Maledictam* de Eccleſia expelle *diſcordiam*, morbum ſana, vulnus alliga, peſtem virulentiſſimi *ſchismatis* elimina. Feſtina, noli tardare. *Satis eſt ab aliis tardatum.* Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec palpebris tuis dormitationem, nec requiem temporibus tuis, donec invenias pacem Domino, & tabernaculo Dei Jacob. Quale gaudium tibi eſſe poterit, dum tuam cernes dilectiſſimam ſponſam, tanto languore preſſam, tanti mali acerbiſſimi mole afflictam?

*Calcaria Benedicto XIII. data ad revocandā pacem.*

Sicut *bona* illius, ut ſupra dixi, tibi *communia* ſunt, ſic *ejus quoque mala tua debes putare.* Imo *tuo* magis quam ſuo ipſa *morbo* laborat. Tu caput illius es, vicem Chriſti in terris obtinens. Et quo alio ipſa quam capitis *vulnere* urgetur? *Capitis* ſui crudeli diviſione graviſſime torquetur atque cruciatur. Et quamvis ad partes alias vis doloris attingat, *fons* tamen *doloris totius ex capite profluit.* Quo tam graviter ægrotante, ſingula neceſſe eſt membra morbo laborare. *Tuum* itaque *vulnus*, ſi ſanum ſapis, *ſana.* Neque enim cum tam dira plaga ſanus aliquis te ſanum dixerit.

*Mollis de-ſcript. curiæ Ro. reformādæ.*

*Capitis medela potior.*

Quid autem in hac re tibi inculcanda pluribus me neceſſe eſt verbis tecum agere, qui alieno in re ipſa ſtimulo non eges, ſed tibi ipſi (ut audio) ſatis ſtimuli es, volucrique curſu tuum incitatorem ſpontanea voluntate præcurris. O te hac ſanctiſſima voluntate feliciſſimum, ſi illam vigilanter exequi maturabis, atque ad celerem exitum (quantum quidem in te ſitum erit) perduxeris. Quod duce atque adjutrice gratia cœleſti te facturum confido.

Quamquam *tam in ſalutari opere explendo non* tibi *defuturi* ſunt *adverſarii*, quos tibi antiqui hoſtis malignitas excitabit, qui ſuum de Eccleſiæ agro, vipereum ſemen auferri permoleſte feret. Surgent plerique *diffidentiæ* filii, *detractionis* alumni, *diſcordiæ* incenſores, *pacis* hoſtes, & ſuæ adverſum te iniquitatis venena diffundent, qui jam tuis præclariſſimis cœptis obſiſtere tentant.

*Salutare negotium, multos habet adverſarios.*

Sed non eſt, quod inde terrearis, aut tepeſcas, vel aliqua rerum difficultate frangaris. Tibi potius per hæc materia dabitur, qua acrius atque ardentius de virtute in virtutem aſſidue progrediaris. Nil tibi in hoc novum accidit, nihil mirum, nihil inſolitum. *Qua unquam virtus æmulis caruit?* aut *liventis invidiæ faculas effugit?* In illam univerſi obtrectatores dentes ſuos exacuunt. Malevoli quique & pervicaces ſuum virus evomunt, eamque ſemper velut inimicam inſectantur. Inter has ſpinas, cruentis undique aculeis pungentes, creſcit, exurgit, eminet, & tanto clarius eniteſcit, quanto per aſperiora atque difficiliora erumpit.

*Virtus adverſitate non frangitur.*

Aſſiſtet tibi, noli timere, magiſter tuus cæleſtis, Chriſtus, cujus & vicem tenes, & cauſam agitabis, qui ipſam cauſam

*Bonos auſpicia ſecundat Deus.*

causam suam minime deseret, sed jugiter fovebit, diriget & provehet, qui te opere juvabit, præsidio proteget, & ab insidiis adversantium, suo fido ducatu, gressus tuos eruet.

*Viri boni salutaria institutta adjuvāt.* Sunt item multi *bonæ voluntatis homines*, & propterea *pacis amici*: Quomodo cœleste oraculum est: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: Qui tibi adjutores erunt, seque felices ac beatos putabunt, & in hoc se natos gloriabuntur, si in hujus rei saluberrimæ agitatione aliquo tibi utili ministerio possint famulari. Quorum, ut existimo, operam non aspernabere.

*Egregia laudes Petri de Aliaco, Cardinalis postremo Cameracensis.* En habes inter viros egregios *virum literis eruditissimum, fide, prudentia, probitate, commendatissimum*, & Zelo unitatis Ecclesiasticæ ardentissimum. *PETRUM, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, & Regiæ Francorum Eleemosynæ ministrum*: Virum utique, ut breviter dicam, te tuisque moribus dignissimum: *Cujus ipsa quoque insignis virtus multa est improborum æmulatione sæpe lacessita, & quem plane alterum lumen nostri ævi dicere non dubitaverim*, quicquid de ejus nomine decerpere maledica perversorum lingua studuerit. Hunc in *pacis consiliis* adhibe participem, in laboribus consortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quasi alteri tibi omnia committe. Et proculdubio non falleris, nec te talem magistrum elegisse pigebit.

*Petrus de Aliaco suos habuit æmulos.*

*Consilia pacis ac reformationis Petri de Aliaco.*

*Conf. in Part. VI.*

Hæc pauca, Pater beatissime, licet inculta, ad tuam Beatitudinem scribere voluntas fuit, quæ si minus honoris ac reverentiæ, quam par fuerat, habere videbuntur, tua mihi sanctitas ignoscet, qui *veritati puræq; fidelitati magis quam blanditiis studui*. Vale, Pater beatissime, tuisque, ut felici auspicio cœpisti, viam laudibus per *egregia ac memorabilia facta* magis ac magis aperi. *Datum Parisiis.*

*Sinceritas Clemangiana.*

# CAP. III.

## *De publicis & impensis* CLEMANGII *desideriis*, Generale Concilium Constantiense *rite instruendi, ac absque affectuum intemperie gubernandi, ad pacem publicam in Ecclesia consequendam &* morum reformationem *obtinendam.*

QUod jurato promiserant *Petrus de Luna s. Benedictus XIII.* in Gallia, & *Gregorius XII. in Italia*, se *cessuros Papatu sponte*, ut disfidia feralia tollerentur, indeque *morum depravatorum emendatio* sequeretur, id se præstiturum simulaverat uterque. Imo & tertius *Johannes XXIII.* ejus artis conscius, id polliceri non dubitavit, de eventu parum sollicitus.

Verùm inter *Benedictum* & *Gregorium* tentatæ conciliationes irritæ prorsus & inanes in definito *colloquio Savonensi*. Artes utriusque non dissimulavit *Theodericus Vrie in hist. Concil. const. libro V. f.* 134. *seqq.* Promptior ad unionem ac pacem visus *Benedictus* in Gallia, quam *Gregorius* in Italia. Nisi ille callidior *artem occultare* didicisse videbitur *rectius* quam Gregorius, illo simplicior atq; apertior.

Hoc certum est, *Gregorio*, Colloquium Savonense declinanti, atque ita unionem deserenti, culpam omnem fuisse imputatam. Negari enim nequit, ab aulicis suis ministris vacillantem ejus in hoc negotio animum fuisse agnitum, nec ab omnibus probatum. *Theodoricum*

*doricum à Niem*, locupletissimum testem, audiemus infra: Nec non ejus coætaneum, & in Gregorii curia similiter Secretarii munere defunctum, *Leonhardum Aretinum*. Utriusque sententiam ex *Manuscriptis Wolffenbüttelensibus*, *Helmstadiensibus* atque *Gotanis* exponemus *Tomo II.*

In quam verò uterque consenserat viam, neque tamen inierat, in eam *Generalis Concilii Pisani* ope pertrahendos esse ambos, judicarant Christiani nominis patres alii. Quod factum quidem, ita, ut remotis illis, reluctantibus licet, tertius substitueretur *Alexander V.* in ipsius Concilii celebritate. At verò isti sua nihilo minus gaudentes autoritate, consilia reliquorum riserunt, donec defuncto *Alexandro V.* & surrogato *Johanne XXIII.* hic nullis artibus parceret suas res locupletandi sedemque muniendi.

Auctis sic indies, *tribus illis* non publicæ sed *privatæ suæ rei consulentibus*, calamitatum cumulis, priora à Gallis ipsisque tribus Pontificibus suggesta remedia repetita, ut tribus his publicam rem pessundantibus *cessionis via* vel prece vel arte vel marte ingerèretur.

*Johannes Gerson*, Academiæ Parisiensis cancellarius, hanc compescendarum turbarum viam publicis comendavit scriptis, & *in Concilio* universali proxime tunc imminente, nimirum *Constantiensi*, rem conficiendam vehementer ursit. In quibus *Gersonianis* excellit utiq; opusculum A. 1410. haut longe ante Constantiense Concilium orbi expositum, *De modo pacificandi ac uniendi Ecclesiam.* Quo & curate & animose istius temporis pericula, aptissimaque omnibus istis malis medendi remedia exposuit. Ut hoc ejus gravissimum atque apertissimum scriptum publica fere deinceps regula prægnantissimorum consiliorum atque operum præclarissimorum, in Concilio Constantiensi effectorum haberetur. Quapropter præstantissimum hoc monumentum ex *Manuscriptis vetustissimis* depromptum mox *Tomo hoc I. Parte V.* exhibebimus.

Secutum itaque paulo post *Constantiense Concilium*, *SIGISMUNDO IMPERATORE* opitulante. Huic optime consulere conati singuli, quibus publica res *& morum in Ecclesia emendatio* videretur curæ. *Clemangius* horum non postremus, & suam contulit symbolam. Literis proinde ad *Nicolaum de Beja*, *Parlamenti Secretarium* exaratis, aperuit, quos Concilio optet *assessores*, quem assessoribus *genium*, quam tractandi *fidem*, deliberandi *modestiam*, concludendi *sinceritatem*, caritatem denique, omnium consiliorum atque decretorum condimentum.

Acriter simul perstrinxit *fines Ecclesiasticorum ad Concilium confluentium* diversissimos, plus publico negotio nocituros, quam profuturos. Quorum multi non publici boni causa, sed *privati commodi* quærendi aut promovendi ergo, advolent, qui beneficia lauta, officia ampla, & favorem duntaxat Regum atque Episcoporum ambiant. Imo, qui lites serant, causas intricatiores suis argutiis reddant, neque tranquillitatem ac pacem attendant.

Quas *favras artes Concilio exitiosas argumentum* epistolæ præmissum

missum, in *MSCto Wolffenbuttelensi* quoque exhibitum, hac detestatur formula: *Quod ad Concilium generale, non carnales homines, sed spirituales mitti deberent, nec quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Tales enim à sancto & moventur & diriguntur & facile exaudiuntur.* En ergo Clemangii pectus.

## NICOLAO DE BEJA CLEMANGIUS.

CUpio tibi aliquid scribere. Id enim magnopere a me exegisti. Ego autem tuis votis annuens id me facturum pollicitus sum. Sed qua de re potissimum scribam, mens in ambiguo est. Non quidem ex rerum inopia, quæ tantæ se cogitanti afferunt, ut non penuria me egenum, sed copia quid magis amplectar incertum faciat.

Sunt *bella civilia* nostrorum Principum, utinam non regno huic sicut cæteris exitialia.

Sunt armatorum publica & impunita *latrocinia*, qualia me in nullis umquam Historicis legisse memini.

*Concilii Constantiense.*

Est *Synodi universalis super Ecclesiastica* ut ajunt *pace* congregatio.

Satis autem jam pridem de *civilibus armis*, ad te atque alios nonnullos perscripsi, illa quæ quotidie evenire cernimus, jam tamen animo præsagiente conjectans. Sed utinam mens mea suo potius esset ludificata vano augurio, quam certiori commendata præsagio! Verum sicut res eunt, atque ire cœperunt, deteriora longe quam dudum modo conjicio, certamque & celerem regni vastitatem peccatis ejus exigentibus impendere arbitror. Caveant illi, qui in prælia partes acuunt, ne in publica quam accersunt clade privatam inveniant.

De *rapinis* vero latrunculorum, arma non ad hostium, sed ad civium oppressionem duntaxat ferentium, etiam sæpe alias conquestus sum. Sed ideo nunc conqueri omitto, quia nullam omnino spem, nisi desuper affuturam video, quin potius omnium maleficiorum liberiorem licentiam grassaturam autumo.

*Officium cleri in calamitatibus publicis.*

Quid igitur in tantis adversitatibus, & jam præsentibus, & jam instantibus, *nos Ecclesiasticos homines* facere convenit, nisi scuto *patientiæ* inexpugnabili nos instruere, ad armaque militiæ nostræ, quæ sunt *orationes* & lacrymæ, maxima animi contritione perfugere. Quæ *arma nostra*, juxta Apostolum, *non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum:* Hoc est, quod tam *validæ atque efficacia* debent esse apud Deum, ut possint ab illo impetrare bellorum compressionem, & mundo pacis desideratissimæ restitutionem: Quod ille per destructionem munitionum designare voluit.

Sed quomodo *aliena* digne deflebit mala, qui *propria* tam inveterata, tam gravia & acerba non deflet? Quomodo *aliis* opem feret, qui *sibimet* auxiliari & per infirmitatem nequit & per incuriam negligit?

*Ecclesiæ vulnera prius curanda.*

Ut igitur morbus totius mundi generalis & gravissimus, levamen facilius inveniat, à *gravissimo vetustissimoque Ecclesiæ vulnere* incipiendum videtur. Maxima igitur instantia, cura ardentissima, nunc tota *Ecclesia* incumbere deberet *ad sui morbi in Synodo ista* curationem.

Nomine autem *Ecclesiæ*, non solum *Episcopos*, ac *Presbyteros*, cæterosque *Ecclesiæ ministros* intelligo: Sed omnes *Reges* ac *Principes* Catholicos, *omnes* qui sensu, scientia, gradu, consilio, potentia & auctoritate aliqua præeminent: Imo generaliter *omnes fideles*, ut quemque vel devotio vel religio vel probitas, vel Zelus vel charitas aliqua commendat. Neque enim *majorum preces* magis sunt semper apud Deum efficaces, a quo præcipue est hujus diri vulneris

neris quærenda atque expectanda curatio. Ut qui propter nostra gravissima peccata nos tam graviter vulneravit, per suam clementem misericordiam & nominis sui gloriam, nos tandem pia dignatione respiciat, nos adjuvet, salvet, & liberet.

*Absq; divino auxilio omnis Eccles. emendatio frustranea.*

Satis enim longo experimento didicimus, quantum absque illius adjutorio, humana consilia, humanæ cogitationes, industriæque possint. Convenimus, modos pacis quæsivimus, vias aperuimus, subtili disputatione multa tractavimus, tot labores & remedia nostro judicio fructuosa tentavimus. Et quid omnibus his ad morbi medelam profuimus? Cum ex cunctis nostris laboribus perplexior morbus atque implicatior indies emerserit.

*Concilio Constant. melior præscripta regula.*

*Assessores Conc. Cõstantiens. quales esse debuerint.*

Proinde si volumus efficaciter ad hujus pestis abductionem laborare, alio decet nos ordine, *in hoc Concilio*, quam in aliis est hactenus actum, procedere. Non etiam sunt ad hoc opus mittendi, qui magis per suas *cupiditates* rem turbarent, quam aliquo pacis studio adjuvarent. Sed homines *ab ambitione* maxime *alieni*, & Zelo Dei atque Unionis ex sincerissima *charitate* affecti. Qui *non blanda assentatione propter quæstum Pontifices palparent*, non *partium* foverent *studia*, sed concordiæ salutaris amarent fœdera, *suorum* etiam *obliti commodorum*, solam Ecclesiæ utilitatem cogitarent.

*Ambitio & assentatio inter Assessores Concilii Const. regnaverũt.*

Quis enim speret, unitatem spiritus in vinculo pacis, inter tantas *ambitiones*, & pestiferas *assentationes*, posse recuperari? Non solet his artibus spiritus sanctus, pacis auctor & conciliator, invitari, sed magis profecto expelli & effugari. Ad illos venit pax cum Sancto spiritu, qui illam concordi quærunt charitate. Unde de Apostolis dicitur, quando venit ad eos Spiritus sanctus: *Et invenit eos concordes charitate.*

*Charitas*

Quamvis enim *in sententiis* possint esse plærique discordes, in *charitate* tamen debent esse universi *concordes*, id est, universi ex charitate ad concordiam niti. Qui enim *ex sincera charitate* concordiam quærunt, non inflata & pertinaci animositate suas sententias defendunt, non se aliis in sensu aut sapientia præferunt, nec sua lucra, suam gloriam, ambitiose quærunt. *Hi conciliis merito interesse deberent.* De *charitate* quippe scriptum est: *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, sed omnia suffert.* Tales spiritus Sanctus visitat, talibus assistit, tales illustrat. Unde post verba supra memorata: *Et invenit eos in charitate*, continuo sequitur: *Et illustravit eos inundans divinitas deitatis.* Divinitus autem illustrati quid rectum sit, quid verum, quid sequendum, quid fugiendum in negotiis vident. Quod alii pulvere suæ cupiditatis excœcati sæpius videre nequeunt. Propterea talium sententiis & saluberrime acquiescitur, & perniciose resistitur. Quibus resistere, quid aliud est, quam Spiritui Sancto, qui eorum ore loquitur, resistere. Talibus enim illa vox Christi sicut & Apostolis dirigitur: *Non enim vos estis, qui loquimini: Sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*

*Cõcordia in Concilio quæsita principium.*

*Devotio in Deum futuris Concilii Const. mẽbris commendata.*

Ut autem qui *concilio sunt interfuturi*, vera possent ad unionem charitate tendere, summa se deberent cura disponere, conterendo, confitendo, & à peccatorum inquinamentis *conscientias emundando*, ne fœdum aliquod aut malevolum in eorum cordibus inveniat, quo merito offensus ab eis avertatur. *Spiritus enim disciplinæ fictum effugiet: Mundus enim & incoinquinatus*, ut *lib. Sap.* de eo scriptum legimus.

*Missa & processione sin Cõcilio nihil juvãt absque cordis puritate.*

Quare mundum & bene purgatum requirit hospitium. Nonne autem fictus est, qui se mundum, justum, pacis amatorem, foris simulat, intus autem sordidus est, perversus, iniquus, mendacii ac discordiæ seminator. Si maxima pœnitentiæ diligentia se purificare laborat, qui ad Christi est communionem accessurus, quamobrem non æquali cura cor diluere studeat, qui Spiritum Sanctum cordis domicilio susceptur est? Quid Missæ, quid publicæ processiones, nisi ad illius susceptionem sint cordium habitacula præparata? Quid est aliúd gratiam Spiritus Sancti invo-

*Preces publicæ & multæ cautiones in Concil. inutiles absque conscientiæ munditia.*

invocare polluta & indigna conscientia, nisi illam voce petere, moribus excludere? Non voces canoras exaudit vel attendit Deus, sed mentes decoras, non harmoniæ svavitatem, sed conscientiæ puritatem.

*Pœnitentia totius populi Christiani optimo ad Conciliũ apparato.*

Nec solùm ad hanc felicissimam unionem postulandam, riteque a Deo impetrandam, debent se illi hoc modo præparare *soli, qui in concilio futuri sunt*, sed *ubique* catholicum *populum* debent ad similiter agendum prælati compellere. Et insuper Sanctorum Patrum more ad jejunia & abstinentias & alias afflictiones excitare, & post hoc solemnes processiones ad cœlestem iram placandam misericordiamque implorandam inducere. Quibus fidelium congregationibus, in singulis civitatibus & oppidis, concilium consummaretur.

*Devota jejunia processionibo publicis meliora.*

*Reges* ac *Principes* æquum puto adesse, non quidem in regio fastu, verum in simplici, atra & lugubri veste. Sicut de rege Ninivæ legimus, quod ad divinam placandam iram, quæ civitatis eversionem propter illius peccata minitabatur, surrexerit de solio & abjecerit vestimentum & cum aliis plebeis indutus sit sacco. Quæ humiliatio tantum apud Deum valuit, ut denunciatum intra quadraginta dies urbis excidium averteret.

*Regum ac Principũ in Conc. præsentia necessar.*

*Pompam magnatũ in Concil. Const. dissvasit Clemangius.*

*Principũ preces penetrantiores.*

*Principes* siquidem, quanto propter auctoritatem, pompam, & fastum, dignitatibus inesse solitum, majora & plura committunt, tanto illos in publicis cladibus, quæ sæpe propter illorum peccata mundo inferuntur, maxime *humiliare* convenit. Quorum etiam *deprecationes*, si ex humili & contrito spiritu proveniant, DEUS magis attendit & magis ponderat. Quia sicut *personæ publicæ* sunt, ita *publica* quodammodo habent *vota* & *preces publicas*. Et propterea *illorum preces*, si dignæ sunt exauditione, *facile & cito Deus exaudit*. Sicut rogante David lues dira, quæ propter populi numerationem ipsum populum vastabat, illico conquievit.

Hæc ad te *de Synodi celebratione* calamo & cogitationi occurrentia scripsi, nihil aliud præ manibus habens, quod utilius hoc tempore scribendum censerem. Quæ dictu & scriptu parum utilia sunt, nisi facto & opere exequamur. Nempe folia verba & literæ sunt, fructus autem in exercitatione est.

## CAP. IV.

### *De calidis* CLEMANGII *lacrymis, quibus ipsum* Constantiense Concilium *devote obsecrat, injectis Synodo variis impedimentis ab instituto bono ne abstrahi se sinant; additis ad perseverantiam impensis precibus.*

SIc post multas Pontificum artes elusas *inchoatum* tandem *Constantiense Concilium*, tribus *Pontificibus*, si non reluctantibus, *ægre* tamen *ferentibus*. Quippe qui clare præviderent, de singulis actum fore. Qui minus in his sibi persvaserat, Papalem suam autoritatem sibi iri subtractum, Concilii decreto, *Johannes XXIII.* dubiam primus experiri fortunam debebat. SIGISMUNDO CÆSARI & *Principibus* atque *Magnatibus* negotium Ecclesiæ salutariter consulendi erat relictum, quod Pontificum quisque deseruerat aut frigidissime tractabat.

Cum in fuga salutem quæsivisset *Johannes*, alter absens Papa *Gregorius*, precibus & decretis ad deponendam sponte insulam di-

gnitatemque Papalem per Concilium invitatus. Quod ſolenniter per Commiſſarium in Concilio præſtitit.

Ad tertium *Benedictum* ſede movendum, cum omnia conferrent conſilia, omnes admoverent machinas, Imperator Sigismundus & reliqui Reges atque Principes nodos deprehendere viſi ſunt Gordios. Donec & hos animo imperterrito ſcinderet Sigiſmundus, in gravisſimo hoc prælio victorioſisſimus.

Protrahebatur interea Concilium in multos annos, *differebatur quotidie longius præcipuum in Concilio Reformationis Eccleſiaſticæ negotium* : Quod autoritate exuti iſti Pontifices per cuniculos varios ſubruere atque evertere contenderent Concilium. Illorum enim artibus effectum, ut non ſine armis inſidiæ, Johannis præſertim, reprimi, ac integritas Concilii conſervari poſſet, quod dira prælia cum Friderico Auſtriæ Duce ſub Concilio geſta teſtantur. A Benedicti partibus abſtrahi non poterant Reges Hiſpaniæ, cum multis viris magnis in Gallia & Hiſpania. Neque inſidiarum Concilio poſitarum finis futurus, niſi Sigiſmundus Imperator ipſe in Galliam & Hiſpaniam ſe contuliſſet, ac ſacro ſuo ore pectora Regum ſacratiſſima emolliviſſet, atque in Concilii conſenſum pertraxiſſet.

Quod igitur ingentes illi fluctus in vicino Conſtantiæ mari Potamico, tempeſtate per Johannem XXIII & aſſeclas excitata, imo & turbine in Hiſpania per Benedictum aucto, Conſtantienſe Concilium inundare atque abſorbere velut diluvio viderentur, ut ſpes fructus, pacis ac reformationis, elui è Concilio dilato ac disjecto præſentiſſimum eſſet periculum, teſte *Theoderico Vrie*, *lib.* 7. Non deſtiterunt viri boni animum addere Concilio, ne adverſitatibus illis ſe frangi, & ſalutare Reformationis Eccleſiaſticæ propoſitum manibus ſuis excuti ſinerent.

Externis his impedimentis ac reformationis in Concilio quæſitæ remoris interna atque *inteſtina Concilii* accedebant ſi non bella *disſidia* tamen. Quod enim *Imperator* cum *Principibus* primùm *Reformationem* urgerent, dein ad novum Pontificem eligendum pergendum eſſe affirmarent : Magna pars male ſibi conſcia in clero vehementer huic ſaluberrimo ordini adverſata, non reformationem prius ullo modo admiſſura, quam novus eſſet Pontifex creatus, lites & rixas moverunt inter clamores & ſtrepitum. Non præteriit noſter *Vrie* in *Hiſt. Conc. Conſt. lib.* 7. *c.* 8. *f.* 194. venenum hoc inteſtinis Concilii mediis malis artibus infuſum. *Satan*, inquit, *veriſſime in congregatione Conſtantienſi cognoſcitur gverras & rixas concitare, ne inter ſe concordare valeant, ad quos* ſanctæ reformationis onus & opus *ſpectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliæ, & hujusmodi, quæ ſine diabolico inſtinctu eſſe nequaquam poſſent. Per quæ tantum* REFORMATIONIS NEGOTIUM IN CAPITE ET IN MEMBRIS SUM MOPERE RETARDATUR.

His obſtaculis, quo minus ſalutaris Concilii finis obtineretur, removendis omnem operam adhibuerunt, ut potuerunt, cum Sigis-

Sigismundo & Magnatibus, viri quique cordati, etiam extra Concilium degentes. In his & *clemangius* extitit. Qui ad perficienda ardua cœpta Concilio calcaria subdebat, sequenti ad Synodum hanc universalem, Constantiæ congregatam, perscripta epistola. Cujus inscriptio in MSCto Wolfenbuttelensi hæc est: *Ad concilium Generale, constantiæ celebratum Epistola Exhortatoria, pro Ecclesiastica unitate laborandum.*

Teneriorem simul affectum in Benedictum Papam haud obscure prodidit Clemangius, etsi palam negare videretur. Quandoquidem Concilii Constantiensis decretum: Ex tribus illis remotis Pontificibus non esse quenquam ad Pontificatum iterum eligendum: Clemangio admodum invisum, reprehensionem ejus non effugit. Sperasse namque videtur, Benedictum, suum antea herum, sibique semper carissimum, cum duobus ceteris sede motum, iri repetitum ac restitutum. Quod pio dandum affectui. Sed en os ardens Clemangii calamumque calentem.

## *Concilio Generali Constantiæ celebrato Clemangius.*

NIsi me, *Patres in Christo Venerandissimi*, ardor maximus *unitatis Ecclesiasticæ*, meis jamdudum præcordiis altius infixus, continuisque animum meum fodiens stimulis, & *extrema* quædam, ut ita dicam, *necessitas*, ad scribendum *vestris clarissimis paternitatibus*, impellerent: Nequaquam meæ parvitatis humilitas tale quicquam aggredi præsumeret. Sed *nihil est quod amor non vincat.* De quo vere dictum est:

*Clemãgii Zelus pro Concilii Constantiensis salute.*

*Omnia vincit amor.*

*Nihil quod non amor audeat.* De quo alius dixit:

*Audacem faciebat amor.*

*Nihil quod non Zelus ardentior*, intima corrodens viscera, *extorqueat.* De quo scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me.* Et iterum: *Tabescere me fecit Zelus meus.*

*Audaciã deprecatur Clemangius quod Concilio Constantiensi regulas videatur præscribere.*

Parcetis itaque, *patres clementissimi*, meæ ignorantiæ meæque audaciæ, quod ad *cœtum vestrum gloriosissimum & sapientissimum* mea insulsa non pertimui mittere scripta. Quanquam absit ut ad docendas *Vestras perspicacissimas intelligentias* talia dirigam, quas & cœlestis, ut pie credendum est, unctio, & doctrinæ uberioris fœcundissima notitia, de omnibus excellentissime instruunt. Ad pauca quædam, quæ animo *de pace ecclesiæ* cogitanti pro præsenti rerum statu occurrerunt, ad remque pertinere visa sunt, solertiis spiritualibus insinuanda, per illasque dijudicanda, (si tamen non auribus vestris indigna sunt,) illa tantum transmitto. *Spiritualis* enim, ut ait Apostolus, *omnia judicat, & ipse a nemine judicatur.* Ubi autem spiritum, qui omnia scrutatur, etiam profunda DEI, virosque spirituales invenire poterimus, si in *Vestra sancta congregatione*, spiritu sancto coadunata, inventi non fuerint?

Ne autem longius plus justo sumam exordium, paucis quod dicere institui explicare conabor.

*Difficile Concilii Cõst. negotium, dissidiorum in Ecclesia cõpositio.*

Neminem imprimis opinor mirati oportere, si grave atque tædiosum est plærisque Vestrum, quod *unitatis Ecclesiasticæ* negotium, *schismatisque* inveteratissimi constantem *extirpationem*, cujus gratia convenistis, maturius expedire non potestis. Vestrum tamen erit, viri optimi, his in rebus induere fortitudinem & constantiam, ut nulla vos terreat adversitas, nulla frangat desperatio, turbet difficultas, vincat labor, superet tædium, metus succumbere

*Ad constantiã in bono cœpto Concil. hortatur Clemang.*

bere faciat. Nulla denique tempora, morarumque dispendia, vestras à tam *glorioso cœpto* longanimitates ante rei susceptæ perfectionem quomodolibet avertant.

*Successus Concilii Const. à Deo expectandus. Non artes humanæ difficultatib' publicis mederi poterant.*

Radix autem *spei Vestræ* non in Vobis sita esse debet, sed in divinæ pietatis ac opis suffragio. Quæ vulnerat & medetur, percutit & sanat, non in humano subsidio vel consilio, non etiam in ingeniosa subtilitate, scientiarum fœcunditate, argumentorum callididate, verborum compositione, lingvarum volubilitate, contentionum certamine, sed in cœlestis auxilii clementissima miseratione, quæ suam Ecclesiam non derelinquet, neque obliviscetur in finem.

*Lites, doli, fraudes bonũ propositũ Cõcilii valde turbarunt.*

Tentavit jam multis artibus, multis insidiis ac machinamentis, antiquus ille Zizaniorum seminator, *concordiæque & pacis hostis*, quemadmodum audio, & satis credo, inter Vos suum virus pestiferum infundere, Vestrumque *sanctum propositum*, plurimis *dolis ac fraudulentiis eludere*: suum de agro dominico vipereum semen eradicari permoleste ferens: Nunc quidem *a principali vos abducendo materia*, ad aliasque jurgiosas & certaminibus plenas attrahendo, nunc difficultates alias, variis ex causis ac motibus erumpentes, ingerendo. Et satis est verisimile, illum *fraudis ac nequitiæ artificem* non adhuc quieturum, sed aliis insuper *astutiis ac calliditatibus*, quantumcumque sibi fas fuerit, rem perturbaturum. Sed Vestrum est, in omnibus his *obstaculis ac difficultatibus*, illius Vestra sapientia vincere malitiam, Apostolumque audire monentem: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: Summaque cura ac sollicitudine ad id operam dare, ne *Vester celeberrimus conventus, pacis reformandæ gratia congregatus*, sine concordiæ adepto fructu discedat. Quod si factum fuerit, nec imposterum de illa sperare licebit. Spesque simul cum cura excidet unicuique videndæ unionis.

*Admonẽtur Concilii Const. patres ad cõstantiã.*

Ergo, *patres optimi*, patres sancti, patres incliti, *constantes* estote, & videbitis auxilium Domini super Vos. O pii Pastores Ecclesiæ, principes populorum, columnæ & bases solidæ tabernaculi, dulces olivæ, pacis nunciæ, orbis salus, mundi lumina, domus DEI fulcimentum, quos in unum DEUS Abraham congregavit ad illuminandum hos, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, & ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Doceant Vos in agendis futuris præterita exempla, rerum experientia eventu comprobata. Qua nullum potest esse evidentius argumentum. Si itaque boni & fervidi *Ecclesiasticæ reconciliationis* æmulatores estis, sicut, non dubito, estis, nihil Vos ab illa quærenda & quovis modo assequenda retardare debet atque avertere. Sed rejectis quibuscunque aliis rebus intercurrentibus, ad illam velut signum sagittæ semper oculos mentis vestræ intentos habere debetis. Omnes aliæ Vobis sunt curæ, quæ illi rei possunt obstare, repellendæ, quæque ab amplexu quietæ contemplationis spiritualique exercitio Magdalenæ avellunt, & nimis cum Martha de temporalibus rebus sollicitos faciunt.

*Excitantur Conciliares exemplo viatoris boni.*

Proponite quæso Vobis, *Patres charissimi*, in Vestro ad hanc metam progressu *exemplum* diligentis ac *boni viatoris*, qui exposito sibi loco vel termino ad quem eundum erit, si per expeditam non potest viam ad illam venire, per aspera quæque itinera illuc tendere studet, montes, rupes, rapidos amnes, invias solitudines exuperat, & per quælibet obstantia ad destinatum sibi locum erumpit. Non unicam habet pater Isaac cœlestis benedictionem, qua suæ posit ecclesiæ subvenire. Multas proculdubio habet cœlestis Medicus ille artes & sanandi vias, quas diligenter quærentibus concedit, pieque pulsantibus aperit. Si res Vobis in aliqua tentata via ex sententia non succedunt, nec res ipsas Vestris consiliis ac voluntatibus accommodare potestis, Vestros potius ad alias animos aptate. *Si non potest fieri quod vis, id velis quod possis*, ait quidam.

*Consilia patrum in*

Non in rebus arduis ac difficilibus immutabilia debent esse consilia, sed pro rerum

*Concilio Const. varianda pro rerum & temporum circumstantiis.*

rerum temporumque varietate varia atque mutabilia esse. In morbis enim Politiarum, pro rerum & temporum varietate necesse est curam adhibere, sicut in morbis corporum. Inde est illud quod Philosophi dicunt, *regulas bene gerendæ reipublicæ, non Lacedæmonias sed Lesbias*, id est, *non ferreas*, sed *plumbeas* esse oportere, ut huc atque illuc, prout rerum qualitas exigit, flecti ac torqueri valeant. Ad quod etiam virtus respicit, quam Græci vocant ἐπιείκειαν, in qua totius justitiæ vis summa consistit.

*Calcar ad disfidia Pontificũ componenda.*

Ponite ante oculos vestros, Patres egregii, vobiscum sedulo versate, quantum apud Deum meritum, qualem apud mundum honorem, qualem laudem, qualem gloriam, qualem apud posteros æternæ famæ memoriam eritis adepti, si ramos virentis olivæ, pacis indices, schismatis pestilentissimi siccato diluvio, ad arcam Testamenti & sanctificationis, quæ sanctæ ecclesiæ typus est, cum columba reportaveritis. Nec considerare ex adversa parte omittite, quale erit, quam Vobis turpe, quam Ecclesiæ exitiale, quamque funestum, si inter tam *multos pacis modos*, qui me fugiunt, non solum sine solida pace discesseritis, sed pace ipsa rursus exclusa, per *novam electionem*, sicut jam antea vidimus, novum schisma conflaveritis. Quod à Vestris & mentibus & consiliis & voluntatibus, piissima DEI clementia, nostris tandem malis propitiata, dignetur avertere.

*Novã Põtificis electionem in Concilio Const. dissuasit Clemangius.*

Unum est quod plærique vulgo jactant per vos fuisse constitutum, sed non facile adducor ut credam, Vos videlicet decrevisse, ut *nemo illorum qui de Pontificatu contenderunt in summum possit eligi Pontificem.* Numquid, *Patres*, exploratum habetis, super quem sors spiritus sancti ferenda sit? Aut numquid æquum est, ipsi Spiritui Sancto, qui sacris electionibus pie invocatus adesse consvevit, mentesque eligentium prævenire ac dirigere, Vos legem ponere, terminum statuere, limitem præfinire, ut non de persona qua voluerit, aut quæ sibi placuerit, electoribus adspiret? De quo scriptum est: *Spiritus ubi vult spirat.* Quid est, humano arbitrio velle in electionibus spiritum arctare, nisi ipsum inde excludere? Porro si certa & irrefragabilis est Apostolica sententia: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*: Audite rursum, quid ad Vos idem loquitur Apostolus: *Vos in libertate vocati estis fratres; Videte tandem, ne libertatem in occasionem detis carnis*, hoc est, carnalium affectionum. Dicite quæso, nonne potest casus accidere, qui forte jam in manibus est, ut nisi unum ex illis eligendo concordiam habere nequeatis? Quo in casu, facile est unicuique videre, quid utilius sit, illumne eligere an sine pace discedere.

*Decretũ Concilii Const. Neminem ex tribo illis Pontificibus remotis iterũ esse Papã eligendũ, improbat Clemangius.*

Testor autem coram DEO, & tremendo judicio ejus, non hæc in favorem cujuscunque personæ, sed in langventis ecclesiæ miserationem me dicere, quæ raptim satis & properanter effudi. Quare obsecro, ut minori rerum digestioni sermonisque decori, Vestræ dignentur paternitates ignoscere, & sinceram mentis intentionem magis quam verba delibrare.

## CAP. V.

### *De gravissimis* CLEMANGII *monitis, legitimum ac decentem sanciendi, decernendi ac definiendi, constitutionesque in Ecclesia formandi modum in Constantiensi Concilio esse observandum, neque citra autoritatem Scripturæ S. & absque ratione quidquam Ecclesiæ præscribendum. Reformationem inprimis Ecclesiæ universalem ante novi Pontificis electionem præcedere debere.*

INtegritas *Clemangii*, eminus, in Gallia, facta & fata Constantiensis Concilii observantis, non admisit eum quiescere ac tacere, cum a-

nimadverteret, nonnulla iri decretum, quæ vel cum Scriptura S. vel ratione haud convenirent.

Quapropter illorum cristas tangit, qui sibi persvaderent, fas esse quidvis in Concilio decernere, Ecclesiæ injungere, sive cum Scriptura S. cogrueret, & primæ Ecclesiæ praxi, rationeque niteretur solida, sive minus.

Qua occasione *Scripturæ S. autoritatem* atque *prærogativam* egregie vindicat: Docetque *superiorem esse Scripturam S. Ecclesiâ.* Dubia sive ex Augustino sive aliunde objecta docte & nervose solvit. Ecclesiam in terris in definiendis statutis, in judiciis ferendis, uti & in moribus suis, non omni carere labe vel infallibilem esse.

Sic *decretorum Concilii Constantiensis autoritatem* examinat. Temeritatem definiendi improbat in illis, qui verum ordinem servari nollent. Imprimis *ambitionem assessorum* reprehendit.

Inter omnia constantissime urget, nihil prius neque antiquius in Concilio Constantiensi Assessoribus esse debere, quam *Ecclesiæ mores depravatissimos emendare.* Neque fas esse ad novi Pontificis electionem in Concilio procedere, quam desideratissima prius *Ecclesiæ reformatio* suscepta & confecta esset. Sentiebat enim satis abundeque Vir perspicacissimus, plerosque in clero maxime superiori illius temporis, nihil magis reformidare, adeoque nihil sollicitius declinare, quam sui Ecclesiæque totius reformationem. Indeque omnibus viribus eo contendere in Concilio, ut hoc argumento præcipuo dissimulato vel dilato, ad novi Pontificis electionem procederetur. Huc omnes artes, omnes machinæ compositæ.

*SIGISMUNDI IMPERATORIS* primus atque *præcipuus* hic fuerat *scopus* colligendi orbis Christiani antistites Constantiam, *ut mores Ecclesiæ corruptissimos emendaret.* Testis locupletissimus noster *Urie*, qui millies hoc monuit ac posteritati commendavit. *Gebhardus Dacherus*, supra in *præfatione hujus partis II.* eandem *Sigismundi Cæsaris* curam, sollicitudinem, ac emendandæ in Concilio Ecclesiæ flagrantissimum desiderium, ingenue professus est. Verùm religiosissimus *Imperator* religionis finem obtinere per religiosos haud sustinuit.

Conquesti de hac arte, qua optimam *Cæsaris christianissimi* intentionem elusisset clerus, omnes boni, viri omnium statuum sinceri atque prudentes. Monere interim absque mora & absq; tædio placuit, publice privatimque, viris cordatis tum Patres Concilii, tum alios quosvis, hoc opus sibi commendatissimum haberent, & *emendationem* ne abjicerent. *Petrum de Aliaco*, *Cardinalem*, hoc illo tempore serio agentem, audiemus infra. Clemangius hic audiendus. En ergo *ex MSCto Wolffenbuttelensi* geminam Clemangii epistolam, quarum hæc inscriptio: *Collatio per scriptum habita super materia Concilii Generalis cum quodam Scholastico Parisiensi.*

CLE-

# CLEMANGIUS
## ad Parisiensem Professorem
### *De*
## *Generalis Concilii Constantiensis*
### *decretis.*

*Autoritas Ecclesiæ ō nimis est extollēda.*

LIcet *ecclesiæ militantis authoritas* sit maxima, quæ, fundata supra firmam petram, convelli non potest, & adversus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt: *Non illi tamen nos oportet*, ut videtur, *triumphantis ecclesiæ titulos ascribere*, ut *infallibilis* sit aut *impeccabilis*: *Quæ sæpe*, ut nosti, & *fallit* & *fallitur*; Non dico in his, quæ *fidei* sunt, cum Christus ad mortem properans, de illa ad Petrum dixit: *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: Sed in aliis, quæ vel *facti* sunt, vel *morum*, vel *judiciorum*, in quibus *propter circumstantiarum infinitam varietatem ac multitudinem* perdifficile est optimi semper medium attingere.

*Ecclef. in terris non est infallibilis.*

*Ecclesia sæpe & fallit & fallitur, in factis moribus & judiciis.*

Si igitur aut *moralia* sint, aut *judicialia* ista *concilii acta*, cum *in talibus falli possit ecclesia*, non absurdum videtur fuisse, si *ad argumentum majoris firmitatis* aliqua similium *exempla*, vel de scripturis canonicis proferrentur.

*Concilii Const. decreta, vel moralia l. judicialia, rationibus probanda fuerant.*

Si autem omnia *acta concilii* fidei definitiones sunt: Cum nonnulli, ut fama vulgavit, multa ex adverso producant sanctorum patrum ac synodorum decreta: Vide quale fuerat, pendente adhuc schismate, in tantarum rerum opinionumque varietate, doctissimorumque hominum controversia, *tot fidei constituere articulos*, ubi non solum conveniens, sed necessarium mihi fuisse videtur, alias saltem *constitutiones* vel *determinationes*, *quæ ab aliis in contrarium adduci* dicuntur, in partem veritatis & fidei interpretari oportuisse, & non istis esse contrarias ostendi debuisse: Ne alias in materia fidei ipsa errasse videretur ecclesia, contraria determinando.

*Concilii Const. decreta non faciūt fidei articulos.*

Quod enim dicis: Patrum decreta rationi non inniti solere: Certe cum tua venia, *si fidei negotium est*, vel materia contentiosa, *rationibus maxime ex scriptura ductis*, vel ex sanctorum patrum definitionibus, inniti consueverunt: A quorum vestigiis, nisi legitima gravissimaque ratione adducti, non solent discedere. Quamobrem, si contraria eos contingat statuere, explicare non omittunt, ne gratis & voluntarie in rebus arduissimis locuti videantur, Sanctorumque Patrum decreta sine causa mutasse.

*In negotio fidei non absq; ratione quid statuendū in Cōcilio.*

Sed jam venio ad verbum *Augustini* quod commemorasti, quo *ecclesiastica authoritas* videtur maxime extolli atque fulciri. *Evangelio*, inquit ille, *non crederem, nisi me authoritas ecclesiæ compelleret.* Mirum sane prima specie videtur, quod *authoritas* peregrinantis in terra *ecclesiæ authoritati* videtur *evangelii anteponi*: Cum in multis illa falli possit, illud omnino & nequaquam possit, & cum ipsius ecclesiæ authoritas, quantum ad ipsius radicem & fundamentum, ex Evangelio maxime constet: Imo ipsius institutio, potestas, ædificatio, non aliunde tam expresse & certitudinaliter, quam ex ipso habeantur evangelio.

*De autoritate Ecclesiæ sentētia Augustini exponitur.*

*Ecclesiæ autoritas nō est major autoritate scripturæ.*

Non certius autem videre possumus de *ecclesia* atque *evangelio*, *quod altero excellentioris sit authoritatis*, quam si demus, fieri posse, ut aliquid evangelio contrarium constituat ecclesia. Quod utique scio fieri non posse, sed fingamus, gratia melius enucleandæ veritatis, fieri posse: Putas ne, in casu illo Augustinum *pro ecclesiastico statuto fidem fuisse evangelii rejecturum?* Equidem non facile crediderim, doctorem illum acutissimum atque excellentissimum hoc fuisse facturum, aut per illa hoc verba sensisse, præsertim cum de fide evangelii Paulus dicat: *Si quis etiam angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit,*

*Ecclesiastī cū statutū fidem Evangelii tollere nō debet.*

*zaverit, anathema sit: Aliud*, inquam, id est, contrarium. Scripta quippe sunt ab Augustino verba illa, nisi me fallit memoria, in libro cujus titulus est, *Contra epistolam fundamenti Manichæorum.* Manichæi autem, contra quos ibi agit, sacras scripturas pro arbitrio suo, non pro ecclesiæ catholicæ ordinatione, vel acceptandas ducebant, vel repudiandas. Vetus pro majore parte testamentum non admittebant, evangelio credi volebant, epistolas Pauli multis adjectis & detractis à falsariis quibusdam corruptas dicebant. Multaque similia deliramenta sine ratione, sed sola voluntatis suæ perversitate, de scripturis confingebant. Ut igitur doceret Augustinus, non ex voluntatis arbitrio, sed ex Ecclesiastica institutione, canonicas scripturas recipi oportere, illa verba, mihi videtur, quantum recolere datum, posuisse: *Evangelio non crederem, nisi me authoritas ecclesiæ compelleret*, hoc est, evangelio tanquam scripturæ canonicæ non crederem, vel *Evangelium Canonicam esse scripturam non crederem, nisi ecclesiæ authoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus canonis habendum censuit, cui soli est illa authoritas attributa, ut possit scripturas canonicas facere*, & cui à quolibet fideli in hoc credi debet atque obediri. Scripta sunt à plerisque sub aliquorum apostolorum aliorumque fidelium nominibus multa evangelia, de quibus etiam meminit Lucas in prologo sui evangelii: Sed tum propter authorum incertitudinem, tum quia non usquequaque vera erat illorum narratio, non immerito inter *apocrypha* per ecclesiam deputata sunt, & à canonica catholicaque authoritate prorsus exclusa.

*Canō scripturæ ex Ecclesiastica institutione.*

Deinde quod postea addis, *certiorem esse habitum fidei quam rationis*, & si non evidentiorem, fateor *apud fideles veros* verum esse, quod dicis, captivantes (ut inquit Apostolus) omnem intellectum in obsequium Christi ac suæ fidei. Qui profecto prius discederent à ratione quam à fidei authoritate, si utraque invicem concordare non posset. Sed *non omnia quæ ecclesia constituit, fidei sunt*, & plerumque etiam cum fidei sunt, à ratione non discrepant.

*Fides certior ratione apud veros fideles.*

Illud quoque quod ex *Lactantio* adducis: Ea, *quæ divinæ authoritatis sunt, cum ratione probante tradi non oportuisse*, ne per inductam rationem minueretur dicentis authoritas, similem habet responsionem. *Non enim tanquam fidei articuli sunt amplectenda quæ Ecclesia sancta determinat, utpote quæ aliquoties determinavit, quod in fidei materia non esset conveniens.*

*Nō omnes Ecclesiæ cōstitutiones sunt fidei.*

Denique non ignotum tibi est, tum Christum legiferum nostrum, tum ejus apostolos, in suæ legis ac fidei traditione sæpe *tale genus probationis*, quale dicebam, ex sacris veteris testamenti dictis patrum & prophetarum, in dictorum suorum confirmationem adhibuisse. Quo nullum nobis ad imitationem certius possumus exemplum proponere: Cum omnis illius actio & vita, nostra certissima atque infallibilis sit instructio.

*Christo & Apostoli sua dogmata probarunt ex V.T.*

Nec illud præterea te fugit, quod credo ex fonte illo imitationis Christi derivatum, quod nostri *scholastici Theologi*, etiam ad illa quæ fidei sunt *rationes* & *naturales* & *morales* quotidie adducunt, vel propter illos qui non fundatissimæ sunt fidei, sed ductu rationis in principio ad illam indigent attrahi, vel ne naturæ rationique contraria videatur fides imperare, ac per hoc ab illa, velut à re irrationabili atque inepta, pusilli plerique ac sensibus dediti, ad intelligibilia ac spiritualia non facile valentes assurgere, refugiant.

*Scholastici etiam dogmatū fidei dant rationes.*

Vides in Joannis evangelio ad sermonem mulieris Samaritanæ plurimos ex civitate Samariæ ad Christum venisse in eumque credidisse, qui posthac in fide firmati dicunt illi: *Jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quod hic est vere salvator mundi.* Figurat autem, ut ajunt doctores, mulier ista Samaritana *rationem* vel similitudinem naturalem. *Samaria* quippe *conjuncta domino* interpretatur. Per naturalem vero rationem anima incipit domino per fidem conjungi. Quæ *ratio* rudes & novellos primum ad fidem ducit atque allicit.

Cum

*Rationibus mens hominis primum invitatur ad fidem.*

Cum in ſacramentis fidei imbuti fuerint pleneque edocti, non jam *propter illam* credunt, necillius ductu indigent, ſed illam potius tanquam viæ periti, nec ducem ulterius requirentes, repudiant. Sicque ſuæ fidei non evacuatur meritum, cui jam non humana ratio præbet experimentum.

*Decreta concilii Conſt. probanda erant rationibus, tum propter objectiones, tum propter infirmos.*

Non fuiſſet autem tam neceſſarium, *acta concilii* vel *per authoritatem ſcripturarum præcedentiumque conciliorum corroborari*, vel *eorum ſaltem rationem reddi*, ſi non aliqua in contrarium per doctos homines dicerentur *opponi*: Vel ſi omnes illi, quos reſpiciunt, aut ad quos ventura ſunt, ita eſſent humana ac divina ſapientia præditi, ſicut illi qui ea ediderunt. Sed cum iſta reſpiciant univerſam eccleſiam, & multa alia ſtatuta nonnullis iſtorum quorundam forte opinione videantur adverſari, credo conſultiſſimum fuiſſe, ſi rationes fuiſſent *doctorum adjectæ*, ut omni poſcenti ſuper illis rationem in promptu reddita fuiſſet, juxta doctrinam Petri apoſtoli, qui vult *nos ſemper paratos eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt fide.* Non rectum eſſe arbitrabatur princeps ille apoſtolici ordinis, *nos in eorum quæ fidei ſunt tractatione aut determinatione, abſque ratione & pro arbitrio loqui*, qui omnibus fidei noſtræ rationem deſiderantibus jubet eſſe paratam. *Non ſibi debent ſolis ſapere qui in ſynodo univerſali eccleſiam repræſentant, ſed ipſi toti eccleſiæ.*

*Non pro arbitrio res fidei ſtatuenda in Concilio.*

*Temeritas conciliarium eſt, pro bene placito cuncta definire.*

Non debent inſuper, ut videtur, *qui concilium agunt*, pro fiducia ac libertate agendi quæcunque libuerit, nimis illi initi exiſtimationi: *Generale concilium ſumus, fidenter agamus, errare non poſſumus.*

Sanxerunt ac definierunt qui *Piſano* interfuerunt *concilio*, atque ita promulgari fecerunt, per novam electionem, ad quorundam *ambitioſorum* inſtantiam præpropere factam, ſchiſma ſeſe ex eccleſia ſuſtuliſſe, pacemque reddidiſſe. Et quis in tota eccleſia tam cæcus fuit, qui non viderit, quantum & ipſosmet & univerſam eccleſiam illa opinio fefellit?

*Decretũ Concilii Piſani falſum.*

Nihil procul dubio deterius, nihil eccleſiæ funeſtius agi poteſt, quam priusquam omnia bene pacata pro ſecuroque pacis tractatu compoſita & concordata, ad novam procedere electionem. Quæ res & ſchiſma à principio fecit, & ſanctam dei eccleſiam incredibiliter attrivit. Quod quamdiu *beneficiorum aviditate* fiet, nunquam ſumus certam atque indubitatam eccleſiæ viſuri unionem. Et nihil, profecto eſt quod magis metuam, quam ne *in concilio iſto ambitioſi* ſua importunitate id fieri evincant, qui moleſtius ferunt, beneficia, quæ ambiunt, diutius vacare, quam ſanctam Romanam eccleſiam per hoc ſacrilegum ſchiſma funditus deperire.

*Ad novi Pontificis electionẽ in Concilio Conſt. non fuerat ante procedendum, quã Eccleſia fuiſſet reformata.*

*Eccleſia Ro. collationem omnium in Eccleſia dignitatum male ſibi arrogavit.*

Mea autem fert opinio, *ſi eccleſia illa collationem omnium graduum eccleſiæ univerſalis nunquam ſibi arrogaſſet*, vel hoc ſchiſma nunquam in illa exortum, vel non tanto tempore perduraſſe. Sed ollam non ceſſat *Hieremias* ſuccenſam videre, quia *ardens* non ceſſat *ambitio* ad illius ſuccenſionem ignem pariter ac ligna ſubminiſtrare.

*Ambitio fons omnis mali in Eccleſia.*

Iſta volui tecum conferendo paulo latius explicare: Quia meam non ſatis potueras mentem per literas breves & curſorias perſpicere. Deum autem teſtem invoco non in calumniam aut ſugillationem alicujus hæc me dixiſſe, ſed pia & fideli æmulatione, qua *ſalubriter & ſecure rebus eccleſiæ cupio eſſe conſultum.* Vale.

*Nicolaus Clemãgio ſalubr. & ſecure rebꝰ eccleſiæ conſulere cupit.*

## *Ad eundem Scholaſticum ſuper eadem Concilii Conſt. materia largior atque uberior collatio.*

BEne admones de *generalibus patrum ſynodis* ſobrie loqui, conſultius eſſe exiſtimans frenos ori ponere, quam de illis temerario judicio quicquam definire. Scio me à te & à quovis alio, non modo de temeritate, verum etiam de inſania ac dementia jure optimo argui poſſe, ſi de

*Actorum Conc.Cōst. censor esse noluit aut judex Clemāgio*

*actis generalis synodi* vellem *definitor* aut *judex* fieri. Quis enim ego sum, qui sensu tam parvus, doctrina minor, gradu atque authoritate minimus, de sapientum eruditissimorumque virorum sententiis *censor* velim ac *judex* esse. Avertat à me altissimus tantam præsumtionem, tantamque dementiam. Non recte, amice charissime, mea verba accipis, meamque mentem tenes, si in his, quæ ad te novissime, gratia tecum habendæ collationis, à teque percipiendæ instructionis perscripsi, *definitorie* me loqui velle credidisti. Nam quia super tuis prioribus literis aliqua apud me erant orta *dubia*, illa pro planiori intelligentia tecum quodammodo disputando, ad tuaque aliqua respondendo, explicare volui, partim *ratiocinatione*, partim *catholicarum scripturarum authoritate* in contrarium adducta comminuere, quo sic discussa obscuritatis ambage splendor veritatis perspicue magis elucesceret, quæ per objecta plerumque nubila solet clarior erumpere. Ut nunqam falli possit illa sententia, de ipsa in sacris literis scripta: *Super omnia vincit veritas.* Denique non ob aliam causam in scholis atque gymnasiis telis solet argumentorum acrius oppugnari, nisi ut hostili exercitu per illam fuso ac superato, vis ejus certissima & prorsus invicta evidentius innotescat.

*Dubia de Cōc.Const. decretis quibusdā Clemāgio subnata.*

*Veritas vincit omnia.*

Vides, quantâ in illis scriptis diligentia quantoque studio laboraverim nihil ex meo sensu vel judicio dicere, sed ferè ad omnia *scripturæ testimonium* adhibere. Ut nihil possit à me profectum vel somniatum credi. Si quid ergo *ex scripturis* aut *sanctorum dictis* objeci, quod forte *scrupulum* injiciat, vel *difficultatem* pariat, numquid propterea rem definire voluisse existimandus sum? Cum etiam illa quæ protuli testimonia tam certa atque irrefragibilia essent, ut rem ipsam definire viderentur, nullatenus *mihi* attribuenda esset illa definitio. *Non peto, per te vel quemcumque alium fidem aliquam meis dari scriptis, nisi quantum vel inconcussa sunt authoritate firmata, vel solida ratione roborata.* Alioquin nisi his fuerint firmamentis innixa, quis ego sum cui credi debeat? Ubi autem tali vallata sunt munimine, non *mihi* in illis credi oportet, sed *veritati* summæ, à qua verum est omne quod verum est. Ambrosio enim teste, *omne verum, à quocunque dicatur, à spiritu sancto* dicitur. Cui Ambrosianæ sententiæ *Augustini* etiam verba consonant, qui in *epistola ad Pascentium* ita scribit: *Neque in nobisipsis, vel per nosipsos veraces sumus, cum verum loquimur, sed cum ille in seruis suis loquitur qui solus est verax.*

*Serupulū movere nō est rem definire.*

*Non credendum scriptis, nisi ratione nixis.*

*Non scriptori sed veritati credendū.*

At non satis, inquis, *generalem synodum* revereri videor. Nonne *contra fidei & scripturæ sacræ certissimam veritatem quotidie disputamus, quæstiones movemus, dubia proponimus*, ut per eorum explanationem *veritas illarum certius appareat?* Imò vero pro illarum honore non puto commodius posse certari, quàm si ad certitudinis enucleationem opponendo, quærendo, exponendo atque respondendo uberius de eptetur, ut si quid forte obscurum aut reconditum erat, per discussionem in apertum exurgat. Absit ut aliquid sinistri de omnibus sane synodis aut sentire velim aut dicere. Nec idcirco calumniari debeo, *minus sincere de illis sentire*, quod aliqua ad meæ ignorantiæ eruditionem circa illas *exquiro*, mihique *edisseri postulo*: Ut de illis possim non solum *sanè & fideliter sentire*, sed etiam pro captu ingenioli *vere sapienterque loqui. Licet* enim *tenuiter doctus sim, veritatis tamen investigandæ avidissimus sum.* Ex hoc autem *ardore & desiderio indagandæ percipiendæque veritatis*, illa processit epistola, quam ad te nuper miseram, literas meas superiores explicatitius evolvens, quarum non satis pro brevitate cursuque rapido mihi videbaris ex voto meo sensum assecutus, nonnulla præterea *nova dubia* interserens, *quæ de aliqua re diu cogitanda solent largius ac multiplicius emergere.* Horum *dubiorum* tu *aliqua* in tuis ad illam epistolam responsoriis literis evacuare conatus es.

*Nō est irreverētia Concilii Generalis, si quid ei opponatur.*

*Disputationes Synodis universalibus oppositæ nō reprehendendæ.*

Sed adhuc aliqui mihi restant circa illa dubietatis *scrupuli*, quos tuæ amantissimæ dilectioni patefacere institui, quæ

quæ obsecro meam velit ignorantiam in tantorum dubiorum inquisitione libentius supportare. Scio tibi alias non deesse occupationes, nec tempora tibi tam libera quam mihi fluere, quam ob causam vereor ultra quam æquum esset, tibi oneri videri. Sed nolo propter mea scripta te à legitimis aliis curis, quæ ex gradu & officio tibi incumbunt, revocari aut impediri, vel propter mea accessoria tua principalia omitti negotia. Satis habeo, si quando ab aliis vacabis occupationibus, teque animi ad hoc voluptas excitaverit, aliquid vel breviter rescribas.

*Universalia cōcilia ejusdē & æqualis authoritatis non sunt.*

Per te igitur informari cupio, *utrum* credere nos oporteat, *universalia concilia ejusdem vel æqualis* esse *authoritatis?* Et si ita est, quare de solis quatuor dixit Gregorius: Illa se venerari & suspicere quasi quatuor evangelia, aut totidem paradisi flumina. Si enim *indiscreta authoritatis universa* credidit, quam ob causam sola illa quatuor pro cultu venerationis nominatim expressit, dubiam de aliis suspicionem in animis hominum relinquens?

*Generale conciliū falli num posit in factis aut judiciis.*

Iterum per te doceri cupio, *utrum* catholica putes veritate *tenendum*, tam *in his quæ sunt facti*, vel *morum*, vel *judiciorum, generale nunquam falli posse concilium*, quam *in fide errare non posse* fideliter creditur?

*Regula JCtorum Ecclesiam sæpe fallere & falli.*

Si autem ita sentis, quæro: Quorsum illa spectet trita vulgo apud juristas sententia, quam pro regula habent: Quod *sæpe ecclesia militans & fallit & falsæ* litur: Quomodoque intelligenda sit: & quæ sit inter militantem & triumphantem quantum ad illud distantia, si utraque *quantum ad omnia infallibilis* est?

*Fallibilitas Ecclesiæ in factis aut judiciis probatur.*

Porrò ecclesia *in concilio* congregata nonne viatrix & peregrina est? Si autem viatrix & peregrina, in statu merendi aut demerendi esse videtur. Quod autem tale est, & *potest recte agere*, atque ita mereri, & videtur *etiam posse deficere*, si potest demereri. Neque enim rationem meriti aut demeriti videtur habere operatio, cui nec libertas nec facultas adest aliter agendi. Sane quod ecclesia *in fide* deficere non possit, certum atque expressum habemus Christi testimonium: *Petre rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Quod autem in aliis non possit, non tale me vidisse memini documentum. Si quid tale nosti, oro me edoceas.

*Argumētū pro infallibilitate Cōciliorum solutum.*

Nam id quidem quod ex evangelio commemorasti, *non multum convincere* videtur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et primo quidem non necesse est, ut falli non possint, in quorum medio Christus versatur. De ipso namque Christo ad quosdam pharisæorum Joannes Baptista dicit: *Medius vestrum stetit.* Nec proinde oportebat ut falli non possent. Nonne in medio insuper erat perfidissimorum Judeorum, cum crucifigeretur, & conspueretur & blasphemaretur? Et quis illos insanus dixerit tunc falli non potuisse?

Præterea dic, si placet, de qua credis assistentia *illud verbum Christi* debere intelligi? Si de *assistentia per præsentiam divinitatis*, qua ubique est, nihil ad rem pertinet. Sic quippe & nunquam peccari & nusquam posset, si ubicunque ille adesset, peccare aut falli non liceret.

*Nō omnes in Cōcilio congregati sunt in gratia apud Deū.*

Si de *assistentia per gratiam*, videquemadmodum consequens esse oporteat, quoties duo vel tres pro conferendo adinvicem *de pace Ecclesiæ*, vel aliquo alio fructu, conveniunt, divinam illis gratiam protinus infundi, cum forte multa ante peccaverint, de quibus nec compuncti sunt, nec confessi. Multi siquidem fideli zelo de pace ecclesiæ conveniunt & tractant, aliquibus tamen magnis peccatis, quæ cum gratia minime stant, implicati. Vel igitur solo colloquio de aliquo pio opere illa deleri oportet, vel non necesse est illis gratiam conferri.

*Gratia Dei nō facit impeccabiles.*

Sed demus ut singulis taliter congregatis cœlestis confestim assit gratia, *nunquid illos collata gratia impeccabiles facit*, ut à recto non possint tramite deflecti, à gratiaque excidere, vel *ignorantia* aliqua, vel *excœcante judicium passione* præpediti? Movet gratia ad bene agen-

*Gratia Dei movet ad bonum non cogit.*

agendum & *excitat*, *non* autem *cogit* aut necessitatem aliquam immittit, ut aliter fieri non possit.

Si vero de *assistentia per directionem*, vel *internam de agendis instructionem* illa censes *verba Christi intelligenda*, illa *sanctis viris* adesse solet, qui spiritus sancti gratia sunt repleti, abundeque perfusi. Talibus nempe à Deo promittitur illud Psalmi: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac quam gradieris, &c.* Talibus præterea, qui *religiose vivendo pieque operando* meruerunt spiritum sanctum habitatorem habere, de quo dicitur: *Ipse docebit vos omnem veritatem:* Et rursum: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Soli* autem *tales* censendi sunt *spirituales*, dicente Apostolo: *Vos autem non estis in carne sed in spiritu, si tamen spiritus DEI habitat in vobis.*

*Quinã in Concilio dicendi in nomine Christi cõgregati.*

Deinde ad veram illius sententiæ Christi quam posuisti intelligentiam, considerandum videtur, qui existimandi *in nomine Christi congregati*? Et tu quidem breviter dixisti, illos existimari debere in vero Christi nomine congregatos, *qui totis pacem laboribus quærunt Ecclesiæ reddere.* Verum nomen Christi, ut nosti, Jesus est, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. Christus namque à chrismate, hoc est, ab unctione, velut rex, dictus est, quia unxit eum Deus oleo lætitiæ præ cunctis consortibus suis. Propter quam causam etiam *Cyrus* Rex Persarum *Christus* à domino legitur appellatus. *Saul* quoque quamvis reprobus, *Christus domini* à David dictus est. *Jesus* autem ipso angelo interpretante, *Salvator* dicitur, causa interpretationis adjecta: Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Vide igitur ne rectius sit atque ad sanctorum dicta consonantius, illos in vero Christi nomine dicere congregatos, *qui pro vera atque æterna salute, vel sui vel aliquorum proximorum suorum, vel totius ecclesiæ congregati sunt*, sive hoc per pacis sive per alterius boni salutaris inquisitionem vel adeptionem futurum sit. Sic enim fidelissimi divinorum eloquiorum tractatores illos exponunt *in nomine Jesu petere, qui ad salutem pertinentia petunt.*

*Res salutis Cõcilio quarẽda.*

Nam illa quidem tua *expositio* nimis *angusta* est, nec satis late patet, & præmissæ sanctorum expositioni non omnino concordare videtur. Angusta primo, quia *unicum pacis bonum* comprehendit: Deinde non sanctorum dictis plene consona, quoniam *pax*, de qua sola loquitur, non necessario ad æternam pertinet salutem, sed de mediocribus bonis est, quibus & bene uti possumus, & perverse abuti. Qua profecto si ecclesia non esset abusa, non ei per illum sublata fuisset, de quo propheta ait: *Divisi sunt ab ira vultus ejus:* Et iterum: *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Sed quia *solent longa pax ac prosperitas temporalis luxum & dissolutionem morumque corruptionem inducere*, & recte poterat de pace sua ecclesia dicere: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima:* Ideo sublata est *mala pax*, id est, quæ *malorum* fuerat *occasio.* Ut per afflictionem discordiæ humiliata, ac per hoc cum Deo reconciliata, veram *pacem justitiæ atque bonæ conscientiæ*, quæ salutare utique bonum est, Deoque gratissimum, rursus ab ipso devote quæreret adipiscique contenderet. *Arma* quippe *justiciæ*, secundum Apostolum, non solum sunt nobis à dextris, verum etiam à sinistris. Imo frequentius accidit, ut quos prospera largius concessa à Deo averterunt, adversa salubriter immissa ad eum revocent.

*Pax externa non necessario ad salutẽ spectat.*

*Ecclesia pace externa abusa.*

*Pax mores Ecclesiæ facile dissolvit.*

*Pax conscientiæ præferenda paci externæ.*

*Dicordia & dissidia Ecclesia ad morum emẽdationẽ sunt incitamẽta.*

Nec solum per adversa temporalia Deus nos erudit atque ad se revocat, sed per illa etiam quæ sunt ab illo tanquam mala prohibita. Quamvis enim malum sit *schisma*, mala *discordia*, quæ tanto in sacris literis studio vetantur ac detestantur: Quia tamen per contraria incuram esse oportet, illis plerumque per hæc mederi solet Deus, quos pax ad lubrica proclivis, aut noxia in malo concordia, *in moribus ægrotare* fecit. Cum autem sic ex malis Deus bona elicit, illisque ad bona utitur, rationem magis videntur boni quam mali habere, & expedientis quam impedientis. Ex fine enim in quem diriguntur, metienda sunt.

Quare

*Schisma Pontificũ anteConc. Cõst. ansa reformationis.*

Quare enim dicere non audeamus, *ecclesiæ profuisse hoc schisma oriri*, cum de malo deteriori propter ecclesiæ utilitatem dicat Apostolus: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, in nobis manifesti fiant.*

De illis itaque bonis est *pax temporalis ecclesiæ*, quæ secundum traditionem beati Augustini, cunctanter & trepide, & cum adjecta conditione à Deo poscenda sunt, videlicet si nostræ saluti, ad quam omnia vota nostra referenda sunt, ita expediat. Quod utique ipse salvator novit, nos autem ignoramus, ideoque illius arbitrio cuncta committere debemus. Nam juxta apostolicam sententiam, *Quid oremus sicut oportet*, id est, sicut nostræ saluti expedit, *nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis*, id est, salutaria ac spiritualia postulare nos facit. Quia de illo dicitur: *Suggeret ipse vobis omnia.*

*Pax Ecclesiæ temporalis nõ tanto studio quærẽda quãta pax animæ, morumq; emẽdatio.*

Si igitur *pro temporali tantum pace ecclesiæ recuperanda* aliqui in unum congregentur, non continuo secundum prædicta necesse est credere, illos in Christi nomine esse congregatos. Primo, quia *ignorant, an ad salutem ipsius ecclesiæ ita expediat*, quam verisimiliter à tumore *superbiæ*, ardore *cupiditatis*, funiculis *vanitatis*, veneno *simoniæ*, aliisque *malis moribus*, ex temporali affluentia prodire solitis, per hanc sanare divisionem Christus instituit. Qui non sineret mala evenire, nisi ex illis disposuisset bona elicere. *Quibus malis* ipsam ecclesiam, licet per *hoc schisma* graviter & diu afflictam, nondum tamen proh dolor liberatam aut sanatam videmus.

*Non præcipuo Cõc. scopus sit schismatis compositio, sed morũ correctio.*

Quid enim aliud sunt *temporales afflictiones*, quibus ecclesia premitur, nisi amaræ potiones, atque medicinæ, quibus temporalis *cupiditas, superbia* vel *lascivia* quasi quædam ægrotatio comprimatur: Sicut per Hieremiam dominus ait: *Cibabo te absinthio, & potum dabo tibi aquam fellis.*

*Pontificũ disidia grandiũ in Ecclesia vitiorum remedia.*

Denique quia plerique *carnales* propterea pacem illam temporalem optant, ut in ocio & tranquilla quiete, nullo interpellante turbine adversitatis, suis possint voluptatibus liberius inservire. Et quis illos in nomine Christi dixerit congregatos, qui *hac mente unitatem quærunt ecclesiæ?* Hi autem carnales filii ecclesiæ non solum spiritualia nec curant, nec sentiunt, sed etiam persequuntur eos, qui sunt secundum spiritum, sicut à tempore Abel justi, quem Cain carnalis occidit, semper factum est, & usque in finem seculi semper futurum. Hi sunt qui pro temporalibus tantum commodis ad ecclesiam convolant, qui ad secularium formam vivunt, *ambiunt, cupiunt, rapiunt, præesse gaudent, non prodesse*, subditos opprimunt atque spoliant, prælationis honore gloriantur, pompis, fastu, luxu lætantur, qui quæstum pietatem æstimant, pro temporaliumque incremento quomodolibet acquirendo cuncta & facere & pati sunt parati: Qui volentes sancte, juste, innocenter, vivere, cum cachinnis irrident, hypocritas appellant crucifixique comessores: Qui denique non alios literatos in ecclesia utiles arbitrantur, nisi qui quæstuosas sunt scientias assequuti, quique temporalia didicerunt tractare, & quomodolibet tueri atque ampliare. Talibus autem ita hodie ecclesia plena est, ut vix in singulis capitulis aut collegiis alios invenire contingat.

*Quod plerique pacẽ*

*Ecclesiæ externam aut Pontificũ unionẽ optaverint voluptatis studio, vel ambitione.*

*Ecclesiasticorum mores tẽpore Conc. Const.*

Cum igitur non alii in ecclesiis sapientes hodie æstimentur, nisi hi temporales, ad illorumque arbitrium ac dispositionem universa agantur, si qui ad curiam Romanam, vel ad secularium principum curias, vel *ad concilium mittendi* sint, aut isti ultro tanquam prudentiores ab aliis mittuntur, aut *spe majoris promotionis*, ad quam ardentius inhiant, per favores & intercessiones maxima importunitate *se mitti laborant.*

*Ad Conc. Const. ablegatorũ affectus & desideria.*

Quid autem hujusmodi temporales, nisi temporalia norunt quærere? nisi temporalem quæstum fructumque cogitare? An tales putandi sunt pro *ecclesiæ reformatione in moribus & disciplina & vitæ honestate* operam daturi, qui suam maximam calamitatem hoc esse deputant, qui sibi omne quod libuerit volunt etiam impune licere, qui idcirco à suis superioribus per Romanæ sedis præsulem magna pecuniarum largitione

*Cur Ecclesiæ reformatio in Cõc. Const. impetrari non potuerit.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ne eximi quæsierunt, ut suo possint incastigati vivere arbitrio? Quomodo hos credemus pro *vera & spirituali pace ecclesiæ* niti debere, quam nec sapiunt, nec intelligunt? *Animalis homo*, ut ait Apostolus, *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur.* Hæc autem pax vera & perfecta & *spiritualis*, sine præambula justicia & gratia Dei in vanum quæritur & expectatur, cum de *justitia* dictum sit: *Justicia & pax osculatæ sunt*: & iterum: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.* Ubi semper paci justitia præmittitur. Denique Apostolus ait: *Justificati ex fide pacem habeamus.* De *gratia* autem videmus apud eundem Apostolum, cum in omni epistolari salutatione illis, ad quos scribit, *gratiam & pacem* optet, gratiam paci semper anteponi. *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Jesu Christo.*

*Gratia Dei ingẽti Ecclesiæ reformatione revocanda.*

Quis autem nisi à spiritu dei & sapientia prorsus alienus sperare debeat, *in tanta vitiorum voragine*, quantam videmus, duo ista nisi *per ingentem & studiosissimam ecclesiæ reformationem* recuperari posse?

*Reformãdi sũt mores ecclesiastici ãte, quã dissidia Pontificum cõponãtur.*

Liquet ergo aperte, ante veram solidamque pacem ecclesiæ, *reformationem morum ecclesiasticorum præmitti oportere.* Alioquin quomodo Deus, propter nostra gravissima scelera tam graviter contra nos offensus, nobis in iniquitatibus magis perdurantibus reconciliabitur, nisi *per vitæ nostræ emendationem* ipsas nostras iniquitates relinquamus? Ait enim ad ecclesiam dominus per Hieremiam: *Lava à malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fiat. Usque quo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Nam temporales quidem homines, qui *pacem temporalem absque prævia spirituali in ecclesia* ponere contendunt, quid aliud videntur facere, quàm *sine posito ædificare fundamento?* Hos cum objurgatione gravique execratione dominus per Ezechielem prophetam arguit: *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, qui deceperunt populum meum dicentes pax, pax, & non est pax.* Quid est sequi spiritum suum & nihil videre, nisi humana carnalique sapientia absque spiritus sancti gratia pacem in ecclesia velle ponere, cum ipsa ad Deum oret ecclesia, *Fiat pax in virtute tua.* Et quid est dicere pax, pax, cum non sit pax, nisi *pacem* tantum considerare temporalem, *spiritualem* vero *negligere*, sine qua nec ista temporalis certa ac vera haberi potest?

*Absq; prævia Reformatione Ecclesiæ omne reliquũ Concilii studiũ irritum.*

Quæ alia res *in Pisana congregatione* ecclesiam Dei populumque decepit, & clamare fecit, pax, pax, cum nulla esset pax, nisi quia carnales & cupidi homines, qui ubique ex refrigerio charitatis superabundant, *beneficiorum ardore accensi*, prorsusq; excœcati, *ecclesiasticam reformationem, quam boni & plerique fideles ante omnia fieri volebant*, impedierunt, ad novamq; mox electionem processerunt. Qua facta, & promotionibus nactis quas concupierant, *pacem* esse clamarunt, solutoque conventu, cum illa, *quam quæsierant pace*, hoc est *promotione*, reversi sunt.

*In Concil. Pisano Reformatio Ecclesiæ impedita.*

*Irritus eventus Cõcilii Pisani.*

Scire ex te magnopere cupio, utrum ne illos putes fuisse deceptos, ecclesiamque decepisse, cum ipsi catholicæ ecclesiæ se pacem dedisse retulerunt? An potius ab omni deceptione tam activa quam passiva liberos?

*Cõcilii Pisani Pacem decepti Ecclesiam deceperunt.*

Et si quidem deceptos & decepisse confiteris, cum *illi* in concilio prævaluerint, *illorumque* opinio fuerit concilii definitio, vides profecto consequens esse, *concilium falli potuisse.*

*Concilium potest falli*

Si autem ab omni deceptione illos censes in omnibus actis immunes fuisse, dic quæso rationes, quibus ad ita sentiendum inducaris. Ego enim meæ ignorantiæ in hac re & aliis conscius, nec illas excogitare valeo, nec videre.

Si respondes in literis tuis: Quod si aliquos forte *ambitio* more humanæ fragilitatis cœcaverit, ille tamen qui præsidet spiritus, ad finem ducit salutarem. Quare ergo ad certam & salutarem non perduxit tunc spiritus unionem? Quare *ambitiosos vincere* permisit ecclesiamque deludere dicendo, pax, pax, cum manifestius apparuerit illam non fuisse?

*Ambitio regnavit in Concilio Pisano.*

Illis adest spiritus, illos dirigit, atque

que ad invicem ducit ſalubriter, finemque bonum concedit, qui dignum in ſe hoſpitium illi paraverunt, ſeque ejus aſpiratione & viſitatione, quantum in eis erat, dignos fecerunt. Nihil autem tam charitati adverſum quam *cupiditas*. Quæ charitas, teſte apoſtolo, non eſt ambitioſa, utpote quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Qui præterea non modo nihil probare, ſed nec patienter audire poſſunt, quod ſuæ voluntati contrarium ſit. Si quis etiam apud illos de ſpiritus dulcedine quicquam dixerit, velut inſulſum atque inſipidum cum ſubſannatione excipiunt, cum ſibilis exuffiant, cum clamore & contentione rejiciunt. Qui ficto denique fallacique corde ad ſacra Dei negotia accedentes, dicunt, ſe quæ Dei ſunt quærere, quæ pacis & ædificationis ſectari, cum revera non quæ Dei ſunt ſed quæ ſua ſunt quærant. Audet Paulus in epiſtola ad Philippenſes de Chriſtianis fratribus ſui temporis, imò de propriis comitibus loquens, dicere, *omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Quod ſi de illis ait temporibus, quibus Chriſtianæ religionis recens adhuc creditur zelus magis incaluiſſe, *cur de terrena fece noſtrorum temporum non idem nobis liceret dicere?* Talibus autem fictis & ſolum quæ ſua ſunt quærentibus non adeſſe ſolet ſpiritus ſanctus, ſed illos velut inimicos effugit. Quia ſcribitur: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Ubi non alium puto intellectum debere nos accipere quàm illum, qui inter ejus dona numeratur, qui hominem de illorum facit ſorte, de quibus dicitur: *Erunt omnes docibiles Dei.* Ut ſcilicet ad illa quæ Dei ſunt audienda, diſcenda, & amplectenda, libenter cor inclinet, nec tam velit per *tumorem arrogantiæ ſcientiæque oſtentationem* aliorum doctor videri, quàm per *humilitatem* & *ſobriam de ſe æſtimationem*, erga illos, quos ſe meliores, ſacramentorumque cœleſtium peritiores exiſtimat, diſcipuli vicem tenere. Ideoque non dictus eſt ſpiritus ſanctus *doctrinæ*, ſed ſpiritus ſanctus *diſciplinæ*, quia non tam *doctorem* quàm *docibilem* reddit hominem. *Docibilem* inquam, quantum ad ipſum pertinet ſpiritum, qui interius docet de omnibus, & quantum ad ſpirituales viros, qui ſecundum apoſtolum omnia judicant, & ipſi à nemine judicantur. Nam ad ſimpliciores quidem inſtruendos illos doctores eſſe vult quos repleverit. Et licet ex igne cœleſtis zeli illos velit conſtanter & ardenter docere, propter quod in linguis igneis apparuit, *humiliter* tamen & *modeſte* ſuam vult doctrinam effundi. *Modeſtia*, inquit, *veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Et alibi, *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite in ſpiritu lenitatis, non tumide*, non arroganter, non clamoſe nec contentioſe, non vincendi aut apparendi, vel ſcientiam ſuam oſtendendi gratia. Ab illis itaque cogitationibus ſe aufert ſpiritus, quæ ſunt ſine intellectu. Ait enim dominus per prophetam: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?*

*Hypocrita in Concilio.*

*Arrogantia & ſcientiæ oſtentatio ex concilio abſint.*

*Modeſtia opus in Concilio.*

Quod ſi non niſi ſuper iſtis dominica atteſtatione quieſcit, & *ſecundum mores hodiernos pauci admodum tales in conciliis ſunt*, carnalium autem & temporalium, & *ambitioſorum*, & *contentioſorum*, & illa quæ inflat ſcientia tumentium, *turba* ſolet adeſſe *copioſa*: Vide quemadmodum neceſſe ſit credere, ipſum ſemper in conciliis vincere ſpiritum, conſultantiumque mentes, ſibi ſemper reſiſtentes obicemque ponentes, ad illa quæ *ſaniora* ſunt atque *ſalutariora* perducere: præſertim cum à majori numero concordium ſententiarium concilii ſoleant decreta procedere.

*Pauci olim in Cõciliis qui non ambitioſi, contẽtioſi, arrogantes.*

Iſta non dico aſtruendo, ſed inquirendo potius, ut per te certior fiam, quomodo putes, *ſpiritum ſanctum in concilio præſidere*, atque *ad ea, quæ ſalutia ſunt, hominum* minime ſpiritualium mentes inflectere ac traducere.

Attende igitur, quam neceſſe ſit *probos ac juſtos* viros, & ſpiritus ſancti non cupiditatis igne ferventes, *ad concilia deſtinari*, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, qui de congre-

*Viri probi ac juſti ad cõcilia de-*

*stinandi qui nō quæ sua sunt quærant sed Ecclesia.*

gregatis in nomine suo dixit: *In medio illorum sum*, & per Prophetam dicit: *Oculi domini super justos*, piamque spiritus sancti sui suggestionem, de qua ait: *Et suggeret vobis omnia.*

*Veterum præparatio ad Cōcilium.*

Solebant *antiqui patres*, *concilium celebraturi*, jejuniorum abstinentia, orandi instantia, lachrimarum inundantia, maxima cordis contritione, atque contribulati spiritus humiliatione, in timore, spiritus sancti assistentiam suffragiumque implorare, summa solicitudine ac vigilantia cordium suorum latebras emundantes, ut nihil illic tanto hospite resideret indignum, quo offensus inde averteretur. Propterea illis assistebat, illos dirigebat atque exaudiebat, & in cordibus ac labiis eorum gratiam suam diffundebat, ut non tam illi quam spiritus loqueretur in eis.

*Conciliū potest falli, ex defectu præparationis.*

Quid autem necessaria erat tanta *præparationis diligentia*, si exploratum habebant, se non posse falli aut deficere in his, propter quæ erant congregati? aut ex defectu præambulæ dispositionis à suo non posse fraudari desiderio? Legimus sæpe in scriptura, *propter unius* aut *paucorum culpam*, magnum innocentum hominum deoque amicorum fusum exercitum, nec illos adjutos aut exauditos, qui ad bellum contra Dei hostes sincera mente processerunt. An non sola ovis morbida universum aliquando gregem inficit?

*Unius nutu totū Cōciliū potest falli.*

Cum itaque *ex unius voce ac sententia tota sæpe congregata pendeat multitudo*, cur non sicut ille in judicio falli potest, ita ipsam totam fallere multitudinem: Maxime si ex humana *præsumptione* aut alia iniquitate *falli digna* sit?

Nonne per omnia recta agere, & *nunquam falli* & deficere, *solius Dei* est? Sciant gentes quoniam homines sunt, non Dii, non angeli confirmati, non sancti. Si autem homines sunt, fragiles sunt, peccabiles sunt, mendaces sunt. Omnis enim homo mendax. Variis propterea *passionibus* atq; *ignorantiis*, *quæ sæpe judicium excæcant*, obnoxii sunt, & tanto quidem peccabiliores quanto à *peccato* atque *ignorantia* vano se voluerint tumore eximere.

*Affectio & ignorātia judicium excæcant.*

Quod si dixeris, non ex humana infirmitate sed ex *virtute spiritus sancti* esse, quod concilium falli non possit. *Quis potest certam habere notitiam, quod majori parti concilii, quam præponderare oportet, spiritus sanctus asit?* Quis audeat judicare, se dignum esse, cui gratia sancti spiritus assistat, cum nemo sciat utrum amore vel odio dignus sit? Apostolus enim dicit, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, sed neque me ipsum judico, qui autem me judicat, dominus est*, cui scilicet soli nota est mentium puritas, cum præterea tam paucos cernamus ad vota dicenda contritos atque confessos accedere.

*Major pars concludens in Cōcilio nō semper spiritu regitur.*

Dices forte, esse verisimile, gratiam spiritus sancti semper *aliquibus* vel *paucis* in concilio adesse, quorum ignita atque efficaci persvasione ad illa quæ salutis sunt cæteros attrahat, dans voci tanquam voci suæ vocem virtutis, qua in animos audientium potentius influant. Quoniam, ut ait Salomon, *verba sapientum sunt quasi stimuli & quasi clavi in altum defixi.* Possunt tales, si qui ibi sunt, illos *monere*, quorum Deus corda tetigerit, quique ex debita dispositione & spiritus sancti præventione ad spiritualia sunt capienda idonei. Alioquin si *multitudo* propter peccatum atque indispositionem *digna est decipi*, paucos ad se illi flectunt viri spirituales, nec qui possint adversus alios contentiosa & clamorosa multitudine instructos prævalere. Nonne in concilio Achab Propheta domini Micheas affuit, qui ea quæ suggerebat spiritus sanctus intrepide dixit, nec tamen regi aut cæteris malis Prophetis, ex sensu ac spiritu suo loquentibus aliquid persvasit, quoniam *digni erant decipi.* Quemadmodum ad spiritum mendacem, qui ad illos decipiendos mitti petierat, prædixerat Dominus, *decipies & prævalebis.*

*Pauci in Concilio sinceri reliquis cedere cogūtur.*

Quis autem possit certo scire, an *major pars concilii* sit *digna decipi*, ex qua pendet definitio. De templo suo quid loquatur dominus contra illos, qui sibi falso promittebant, quod propter eorum iniquitatem Deus illud non desereret,

*Major pars cōcilii sæpe insincera.*

reret, apud Jeremiam lege. *Nolite confidere*, inquit, *in verbis mendacii, dicentes, templum domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras & studia vestra, si feceritis judicium & justitiam*, & cætera multa quæ illic sequuntur, *habitabo vobiscum loco isto.* Deinde cum plurima illorum peccata annumerasset, adjecit atque ait: *Ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris. Ite in Sylo ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, & non audistis me, faciam domui huic in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Sylo, & projiciam vos à facie mea.* Et conversо ad Prophetam sermone sequitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Ubi licet aperte intueri, quam modicum apud contumaces Deique contemptores, & apud Deum pro illis sancti justique proficiunt. Quid autem est templum domini, nisi Ecclesia Dei? Quamvis ad judæos ista sint dicta ad literam, & pro illis scripta, tamen secundum traditionem Apostolicam, in figura dicta sunt illis, quæ figura Ecclesiam Christi moresque ejus videtur respicere.

Sed adhuc forte dices, *falli non posse promissa domini*, quibus cum ecclesia sua usque ad consummationem seculi se futurum spopondit. Fateor sanè, certum esse, *illa* falli non posse. Sed ubi & *cum quibus* per gratiam *in ecclesia sua sit*, non nostrum, sed illius est nosse. *Novit dominus qui sunt ejus*, inquit apostolus. Nos autem quomodo nosse possumus? In sola potest muliercula per gratiam manere ecclesia, sicut in sola virgine tempore passionis mansisse creditur.

*Quinã in Concilio à Deo regãtur, soli Deo constat.*

Numquid ergo erit majoris authoritatis aut prærogativæ *concilium episcoporum hujus temporis*, & propter illorum justitiam quorundam etiam cum illis doctorum hominum, quam congregatio fuit apostolorum, qui tamen *omnes* declinaverunt & relicto *Christo* fugierunt.

*Concil. Const. non melio collegio discipulorũ Christi, qui à Christo fugerũt?*

Num quid præterea majoris erit prærogativæ, quam universa *militans ecclesia*, in qua dixit Augustinus non impleri posse quod ait apostolus, *ut exhibeat sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam*, sed tantum in cœlesti Hierusalem, ubi verum erit quod scriptum est: *Sine macula sunt ante thronum Dei.*

*Ecclesia & Conciliũ non sine labe.*

Quid aliud credere possumus causæ esse, quare illa *quatuor concilia*, quæ tanta præ cæteris excellentia commendat Gregorius, scilicet *Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum* & *Chalcedonense*, singulari sint inter alia veneratione *sacrosancta habita*, nisi quia ex sanctis erant hominibus collecta? Propterea que in illis & per illos suas mirificavit Deus voluntates, sicut per sanctum prophetam dixit: *Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Spiritus enim ubertate ditati pinguedineque saginati nihil petierunt aut constituerunt, nisi quod vellet Deus, & ideo non sunt fraudati à desiderio suo. Tales congregat spiritus sanctus, talibus adest, in medio talium versatur & volitat, & deliciæ sibi magnæ sunt cum talibus esse filiis hominum. Secus autem de illis, de quibus uno interjecto versiculo subjungitur: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.* Quæ autem sint conventicula, quæ se congregaturum negat, nescio, nisi ea dicantur, quæ ad tractandum de temporalibus vel carnalibus congregata sunt. *Sanguis* quippe & *carnalia* significat, ut *Libera me de sanguinibus Deus*: & *temporalia* interdum, ut in Ecclesiastico, *Panis egentium vita illorum, qui hunc defraudat, vir sanguinum est.*

*Primorũ quatuor Cõciliorũ œcumenicorũ authoritas.*

Quid autem aliud quam *carnales* sunt, qui concilii negotia & iracunde, & clamorose, cum jurgio & amaritudine tractant, secundum illud apostolicum: *Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* Si autem carnales, quomodo spirituales? Cum caro concupiscat adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Præterea si carnales, quomodo rerum spiritualium idonei judices? Cum de illis patenter dicat Apostolus: *Spiritus omnia judicat, & ipse*

*Carnales in Cõcilio, contentiosi.*

*ipse à nemine judicatur.* Denique spiritualibus viris apostolus idem prædicat: *Instruite in spiritu lenitatis.* Suavis quippe atque benignus est spiritus sapientiæ, non asper, mordax, chamosus atque contumeliosus.

*Fata Concili Pisani A. 1409. Romani, 1412. Constat. 1415.*

*Duo* jam ante pauca tempora super schismatis abolitione facta sunt *concilia*, & in ambobus à votis & spe excidimus, utinam in *tertio* isto voti compotes simus.

In *secundo* autem illorum *conciliorum* audisse te arbitror quid contigerit. Scis enim. Convocaverat *ante annos fermè quatuor concilium Romana ecclesiæ*, maxima quorundam compulsus instantia, *BALTHASAR* ille perfidissimus, nuper Petri sede, quam turpissime fœdabat, ejectus. In quo, *pauctissimis concurrentibus extraneis*, ex aliquibus qui assuerant Italicis, *sessiones aliquot* tenuit, in *rebus supervacuis* nihilque ad utilitatem ecclesiæ pertinentibus tempus terendo consumptas.

*Miserum Conciliũ Romanũ à Johan. e XXIII. congregatum.*

Cumque ante *primam concilii congressionem* pro invocatione sancti spiritus solito fuisset de more *missa celebrata*, ubi concilium consedit, ipseque *BALTHASAR* in parata sibi cathedra sublimior præsedit, ecce *dirus & feralis bubo*, funeris aut alterius, ut ajunt, calamitatis semper nuncius, è latebris suis erumpens, *cum sua illa horrifica voce* continuo advolat, super trabemque templi mediam *oculis in Balthasarem* directo intuitu *conjectis* astitit. Cœperunt universi *mirari*, quod nocturna avis & lucifuga diurna luce in turbæ medium advolasset, *malumque omen* ex prodigio non immerito auspicabantur. *En*, inquiebant suppressa voce alter ad alterum, *in specie buboris spiritus sanctus adest.* Cumque cæteri & *se mutuo & Balthasarem spectantes, vix risum tenerent, Balthasar ipse*, in quem solum ille fixa acie oculos intenderat, *rubore suffusus sudare*, angustiari, atque intra semetipsum vehementer æstuare cœpit. Tandemque non inveniens, qua alia posset ratione huic tantæ suæ confusioni consulere, *soluto concilio surgens abcessit.*

*In Concil. Rom. bubo comparuit.*

*In specie buboris spiritu S. adesse in Conc. Ro. creditus.*

Sequuta est deinde *altera sessio*, in qua rursum more simili, licet minime vocatus, *bubo* adesse non omisit, *versa semper in Balthasarem intuitu.* Quem ille rediisse conspiciens, majori quam prius verecundia merito *conturbatus* est. Nec illius ultra ferre prævalens conspectum, *fustibus illum terrificisque clamoribus abigi præcepit.* Sed ille nec vocum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis *effugere voluit*, donec fustium crebris ictibus acerrime pulsatus, in conspectu omnium *exanimis decidit.*

*Bubo ex Concilio Ro. expelli non potuit.*

Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu *Roma* veniebat, super quibus cum propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me vehementius adjuratus, verissima se retulisse confirmavit. Addebat autem, *omnes*, qui aderant, *in magnum contemptum atque irrisionem concilii* ex hac re adductos, paulatim *toto dilapso concilio*, nihil illic prorsus actum esse fructuosum.

*Conciliũ Ro. absq; fructu solutum.*

Perspice igitur quantæ videntur posse *occasiones deceptionis* aut fallaciæ, aut frustrandi irridendique concilii incidere, sive *ex capitis ineptitudine*, ut in illo concilio de quo modo loquebar, sive *ex indignitate majoris partis* congregatorum, quæ ad gratiam sancti spiritus percipiendam non est rite parata, quæ non nisi puras gaudet mentes invisere. Unde sanctus David rogando dicturus, *Spiritum rectum innova in visceribus meis*, qui scilicet recte me agere doceat, & falli non sinat, non immerito præmisit, *Cor mundum crea in me Deus*, tanquam certissime cognoscens, se non nisi corde mundato rectitudinem spiritus, quæ illum in agendis, ne falleretur, dirigeret, posse consequi.

*Multæ causæ, quibus cõciliũ universale posset in errorem deduci.*

Possunt insuper aliæ causæ deceptionis & fallaciæ in concilio contingere, sive in aliquibus ex nimia præsumptione vel æstimatione suæ sapientiæ, per quam se putant satis ecclesiæ posse subvenire: De illa autem sapientia scriptum est: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*, illorum scilicet, qui contra apostolicam admonitionem prudentes sunt apud semetipsos & plus sapiunt quam oportet: Sive postremo ex negligentia intuen-

tuendi ſcripturas divinas, ſanctorumque patrum, in quibus ſacrarum ſpiritualiumque rerum & petendarum & impetrandarum forma oportunius tradita invenitur.

Quæ ſi ita ſunt, vel eſſe poſſunt, nihil enim affirmo, ſicut temerarium videris arbitrari, *generalem* dicere *Synodum fallere, errare, aut falli poſſe*, ita tuum eſt conſiderare, ne ſorte non omnino à temeritate alienum ſit, nunquam illam poſſe deficere, velle pertinaci defenſione aſtruere, niſi aut firmiſſima authoritate, aut certiſſima ratione ita eſſe convinceretur.

Quod etiamſi certo & evidenti eſſet documento monſtratum, non adhuc tamen utile crediderim, *illos qui ad ſynodum ipſam conveniunt*, iſti inniti æſtimationi: Ne forte ſub umbra atque occaſione talis *confidentiæ*, aliqua vel ex humana præſumptione, quæ inde poſſit apud multos contingere, nimis leviter ſibi agenda ſuſciperent, vel minori conſideratione digeſta ſtatuerent. *Optimus* nempe *cuſtos diſciplinæ* totiusque rectitudinis *timor* eſt, ad quem penè tota ſcriptura mira ſolicitudine unumquemque hortatur. *Noli altum ſapere, ſed time*, inquit Apoſtolus. Et alibi legitur, *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Denique Job ſanctiſſimus ait: *Verebar omnia opera mea*, quare merito *rectus* fuiſſe ac *timens Deum* deſcribitur. Timor ſiquidem ſapientes facit, atque ideo non ex facili fallibiles. *Initium* enim *ſapientiæ timor domini.* Timor juſtos facit, dicente ſcriptura: *Qui ſine timore eſt non poterit juſtificari.* Qui autem juſti ſunt, exaudiri merentur, nec repulſam in votis ſuis ſuſtinere: Quoniam ſcriptum eſt: *Deſiderium ſuum juſtis dabitur.* Et in Pſalmis cum dictum eſſet, *Oculi domini ſuper juſtos*, ſtatim adjunctum eſt, *Et aures ejus ad preces eorum.*

*Aſſeſſores Concilii ne ſua nimium fidant ſapientiæ. Timore & magna cautione opus in Concilio.*

Timor poſtremo ſanctos facit. Unde eſt illud Apoſtolicum: *Perficientes ſanctificationem in timore Dei.* In talibus autem, ut ſupra dictum eſt, voluntates ſuas ſpiritus ſanctus mirificat.

Iſti ſunt æſtus & *ſcrupuli dubitationum*, qui in re, de qua invicem conferre cœpimus, adhuc apud me remanſerunt, forſitan plures ac majores poſſent aliis doctoribus occurrere. Super his autem, dum tibi per ocium licebit [nolo enim alias quicquam à te exigere] ad meam poteris inſtructionem, animique ſerenationem, quid ſentiendum exiſtimes, aperire. Forſitan mihi & aliis non tanta in materiis iſtis occurrerent *dubia*, ſi *in conciliorum definitionibus*, vel ex ſcriptura divina vel aliunde rationes atque *probationes* eſſent *adjectæ.* Quoniam, ut ſapientiſſime inquit Hilarius noſter, *intelligentia doctorum ex cauſis eſt aſſumenda*, quod à principio dixi mihi videri rectius fuiſſe.

*Scrupuli de Concilii Conſt. decretis.*

*Concilii ſtatutis rationes erant addenda.*

Ex his igitur atque aliis, quæ tibi forte cogitanti melius occurrent, vides, ut puto, quam congruum fuiſſet, ut non dicam neceſſarium, *legitimis* aliquibus *documentis* tantas *confirmandas fuiſſe novas editiones*, quarum omnium non alia affertur probatio, niſi quod per generalem ſunt ſynodum conſtitutæ, quæ falli aut errare non poteſt. Quod an ad perfectam illarum intelligentiam ſufficiat tu videris. Ubi præſertim tanta ex ſcripturis obſtare videntur, quæ etſi non apud doctiſſimos, apud ſimplices tamen & minus doctos magnam poſſunt ambiguitatis vel ſcandali præbere materiam. Tibi vero non ignotum eſt, quanta cura cavendum eſſe moneat Chriſtus, quantaque Paulus, ne parvulis in Chriſtum credentibus occaſio præſtetur ſcandali.

Bene igitur fecerit tua charitas, ſi huic ignorantiæ meæ, pro ſibi à deo conceſſa doctrina mederi ſtuduerit. Nihil autem in his & in aliis ſcriptis aſtruere intendo, niſi quod catholicæ veritati ſit conſonum. Si quid autem minus certum, non aſſerendo ſed dubitando, vel argumentando propoſui, quo de certitudine plenius poſſim informari, non puto quod ad temeritatem debeat mihi imputari. Alioquin temerarium eſſet, intellecta velle à ſapientioribus diſcere. Quamvis etiam profecto paratus ſim, ſi ea quæ me movent dubia explicando aliquid in radice veritatis minus fundatum, aut fideli admonitu illud eradere, aut ad lineâ rectitudinis lima exactiori emendare. Vale.

# VITA
# NICOLAI DE CLEMANGIIS
## Theologi & oratoris Galli
### Concilii Constantiensis tempore Clarissimi.

*Patria* ILlustre *decus Galliæ* sua extitit ætate *Clemangius*. Cujus suæ *patriæ* gloriam atque incolumitatem omni sectatus est studio, dum fuit. (*a*) In vico *Clemange*, provinciæ *Catalaunensis*, in Campania, ex parente *Nicolao* (*b*) vitam traxit, *Familia* ingenii bonitatem ex Deo, fortunam ex virtute. Claram ex *cognatis* habuit familiam, qui *avunculum* nactus *Petrum Clemangium*, inclytum civitatis Catalaunensis medicum. (*c*) *Fratrem* vidit *Stephanum*, Collegii Navarrensis Luteriis Provisorem. Tenuioris quidem fortunæ parente usum meminit *Lydius*, (*d*) quod pro fraterculo suo & sororis germanæ filio, (*e*) literis operam daturis & ad Academias adspirantibus, apud magnates intercesserit, à quibus foverentur. Quanquam verò emersisse in familia plures, & ad doctrinæ quoddam fastigium conscendisse eventus ostenderit, ut virtus priorem fortunæ iniquitatem superaret: Ex sola tamen isthac intercessione pro Studiosis ex sua familia oriundis hic fortunæ defectus non videtur sufficienter colligi. Favor siquidem Patronorum literatis optimum debet præstare præsidium, omnemque opulentiam longo post se relinquit intervallo. Sollicitum certe parentem, si non divitem, de filiorum constat honesta educatione & fortuna, quibus studia literarum commendaret.

*Ingenium* Præclarum Clemangii nostri *ingenium* arguit, quod *duodecimo ætatis anno* Studiorum gratia *Parisios* fuerit missus, & in cele- *Educatio* bre *Collegium Navarrense* receptus, in quo ut eruditus, honoribusque affectus, ita & magnam vitæ ac ætatis partem in eo consumsit. Quam fortunam ipse Clemangius noster ex Collegio isthoc tandem in aulam Pontificis Benedicti XIII. Avinionem accitus, & ex ea iterum elapsus, celebrare non intermisit. (f)

In

(*a*) Vid. nobilis *Epistola Clemangii ad Academiam Parisiensem*, qua se à suspicione literarum, Excommunicationis fulmen vibrantium, in curia Benedicti Avinioni adversus Galliam patriam suam scriptarum, egregie purgat.

(*b*) Notante *Henrico Warthon*, in *Appendice ad Histor. Liter. Gvilielmi Cave*, *f. 92. edit. Lond.*

(*c*) Quem peste in civitate Catalaunensi extinctum, in epistolis deplorat noster.

(*d*) In vita Clemangii, præfixa operibus ejus.

(*e*) V. Epistolam ad *Petrum de Cancella Regium Confessorem*, olim in Academia Parisiensi in munere Professorio Collegam.

(*f*) In *Epistola ad Collegium hoc Parisiense* post multos annos ita scripsit: *Vobiscum à puero vixi, majoremque meæ ætatis portionem peregi. Quos, etiamsi apud alienos accusarer, meæ vitæ, meæ conversationis, meorum morum ac studiorum possem certissimos testes magis quam ceteros mortales adhibere. Nam quando*

*pri-*

In laudato Collegio *doctores* habuisse fertur Viros clarissimos *Petrum Nongentinum*, *Gerardum Machetum*, Theologum & Canonicum, postea Castrensem Episcopum, & celeberrimum *Johannem Gersonem.* (*g*) Ad quos absens postremo frequentes dedit literas, res arduas regni & Ecclesiæ concernentes. *Studium Academicum.*

*Elegantioribus literis* totum se consecraverat, quas egregium ut omnis vitæ ita & studii sui Theologici præsidium fore meminerat. Qui etiam ex eloquentiæ & poëseos studiis aulica nactus est munia. *Literarum elegantiarum.*

*Doctoris* Theologiæ titulo eum insignitum memorant hodie plures, (*h*) forte absque testibus. Nisi *Magistri* character hoc velit, quo omnino insignitus: Quem sive ad philosophiæ studia restringas, sive ad Theologiæ professionem ex stylo antiquo extendas licet. In antiquissimo *MSCto Wolfenbuttelensi*, in fronte operis, Epistolas ejus complexi, expresse scribitur: *Epistolæ Magistri Nicolai de Clamenges, &c.* *Gradus honoris.*

Anno circiter 1393 ab *Academia Parisiensi Rector* creatus, & scribendis epistolis publicis adhibitus. Quo ipso anno, non privato, ut apparet, sed publico nomine, ex publico officii charactere, ad *Carolum VI. Galliæ Regem* devotissimam sed & gravissimam scripsit epistolam, qua in illa communi & undique grassante Ecclesiæ corruptione invitaret Regem ad reformationem morum suscipiendam. Quas literas, supra *Capite I.* ex *MSCto Wolfenbuttelensi* exhibuimus, Clemangiani Zeli argumentum, & fatorum illius temporis publicorum indicem apertum. *Rector Academiæ Parisiensis.*

Mox Anno sequenti 1394. cum Avinioni Clementi Pontifici defuncto *Petrus de Luna Benedictus XIII.* surrogatus esset, ad recentem hunc Pontificem summum Avinionensem literas præclaras dedit, quibus & hoc Ecclesiæ caput ad seriam Ecclesiæ curam excitaret. Dignas lectu, consiliorum de pace Ecclesiæ subinde postea agitatorum ansam, itidem ex *MSCto Wolffenbuttelensi* supra *Cap. II.* recensuimus. *Celebritas ex scriptis.*

Eodem hoc tempore, à schismate Papali Ecclesiam pessundante, A. 1378. orto, tribus lustris elapsis, dignitate atque autoritate in Aca-



*primum ad urbem illam præclarissimam ac ad illud vestrum inclytum perveni studium, Alter ab undecimo nondum me ceperat annus. Me tenellum mater illa, Parisiensis universitas, gremio excepit, sinu fovit, ulnis gestavit, suavissimis denique aluit uberibus. Præterea prima me docuit elementa, me ad honorem illum, quem amplissimum habet, invitum & renitentem extulit. Me denique ex illo tempore usq; ad hanc prope ætatem doctrina simul ac moribus erudiit. Et si parum exinde cepè fructus aut eruditionis, mea fuit culpa negligentia, aut tarditas fortassis intelligentiæ. Illud autem quantulumcunque est, si quid tamen est, quod in vestro didicò consortio, in vestris potissimum Ecclesiæque negotiis ac servitiis recte quidem hactenus impensum est. Extant apud vos mei illius obsequii crebra monumenta, &c.* Ex Manuscripto Wolfenbuttelensi.

(*g*) *Lydius* & *Warthon* in vita Clemangii.

(*h*) *Eubulus Cordatus*, quisquis demum ille, in editione operis Clemangiani, de Corrupto Ecclesiæ statu, A. 1519. cunque secuti hodie plerique.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

demia Parisiensi pollens, ponderosissimum atque memorabile opus de *Corrupto Ecclesiæ statu*, vel *Ruina Ecclesiæ*, edidisse videtur. (*i*)

*Orator & Poëta.* Florere ex eo ita *Parisiis* cœpit, ut ex editis variis ingenii & eloquentiæ monumentis *Oratorem* & *Poëtam* excellentem agnoscerent atque admirarentur viri illustres. Quæ fama invitavit viros quosque eruditos, summos quoque Ecclesiæ Antistites, ad *commercium literarum* cum illo instituendum. Quippe cujus literæ non tantum *elegantia* orationis singulari niterent, sed & magnam *ingenii vim*, multam *doctrinam* referrent, præterea incomparabili *modestiâ* essent conditæ. Mira svavitate excipere solitus est suæ artis ac in dicendo scribendoque raræ peritiæ encomia, quibus ab aliis ornatus. Pythagoræ genium nactus, non orator nec Poëta, sed artis dicendi studiosus dici voluit. Breve & elegans præclaræ illius modestiæ argumentum, & studii ejus oratorii, quoad initia & profectus, concinnam ideam exhibet epistola ipsius humanissima ad *Cardinalem* doctissimum *Galeotum de Petra Mala*. (*k*)

*Commercium literarum cum doctis.*

*Epistolarũ elegantia.*

Sic

[*i*] Hoc fere anno prodiisse hoc nobile Clemangianum opus, ipse videtur subinnuere Clemangius laudati operis capite 41. V. infra *Tomi hujus I. Part. III.* Ut dissimulandus veniat illorum calculus, qui circiter A. 1414. scriptum notant, ut *Warthon* & alii. Nisi ab autore forte vel aliis in gratiam Concilii Constantiensis tunc iterum descriptum aut denuo editum quis dixerit. Propius accedere videtur *Eubulus* ille *Cordatus*, qui A. 1519. primus hoc opus edidit, qui in Præfatione scriptum monet *sub Clemente VII.* quem tamen jam defunctum describit Clemangius *capite* 41.

[*k*] Inter alia scribit: *Unde, inquis, tibi eloquentia, cum illius apud vos* (Gallos) *nulli sint magistri? Primum respondeo, non tantam mihi esse, de qua mirari te oporteret, si illam essem absque præceptore consecutus. Deinde nequaquam concesserim, nullos omnino me magistros in illa percipienda habuisse. Multos sane habui: Studium, usum, exercitium, assiduam attentamque lectionem autorum eloquentium, cum aliqua forte ingenii aptitudine. Quos idoneos indiscenda eloquentia esse magistros Augustinus in 4. libro de Doctrina Christiana te docebit, dicens: Ad comparandam eloquentiam magis prodesse, si quis eloquentes audiat, vel diligenter legat, quam si circa artis præcepta se occupet. Ad quæ etiam viri eloquentissimi dum orant & scribunt, raro & minime attendunt: Et si curiosius ad illa attenderent, minùs sæpe efficaciter id quod volunt persuaderent. Summa enim ars est in persuadendo artem occultare, quæ quanto plus apparuerit, tanto plus de vi atque efficacia persuadendi detrahit. A natura siquidem & affectu motuq; animi magis quam à curioso artificio, videri oportet orationem proficisci. Quia curiosius elaborata magis solent artem & curiositatem ostentare, quam rem sensibus audientium inprimere. Quanquam absit ut negare velim, esse optimum, artem ipsam artisque præcepta cognoscere: Quæ me quoque apud Ciceronem & Quintilianum legisse confiteor magnaq; ex parte comprehendisse. Sed id certissime verissimeque adstruere audeo, legendis Tullianis orationibus, quam legenda ipsius arte, longe plus me in eloquentia profecisse. Quod ceteris puto similiter accidere. Nec illud postremo negare volo, extra illos quos dixi magistros, humanos non usque quaque defuisse præceptores, cum quibus legendo & conferendo multa utilia didici, quæ solus forsitan non intellexissem. Etsi enim in ceteris fere omnibus jucundum & delectabile est habere consortem, in literarum tamen studiis perjucundissimum. Facilius invenitur quod plerique quærunt, & certius vident plures oculi, quam unus oculus. Quis nisi insipiens ita præsumat de sua intelligentia, ut etiam alicujus minima liberalium disciplinarum se credat perfecte posse comprehende-*

Sic apud Magnates atque illustrissimos viros ob styli & genii amœnitatem cum carissimus existeret, oratoris nomine clarus, *à Pontifice Avinionensi, Benedicto XIII.* ope laudati *Cardinalis Galeoti de Petra Mala*, in aulam Papalem Avinionensem est accitus, *à secretis Pontifici* futurus. Certe aulicis omnibus jamdudum innotuerat, qui cum præcipuis Cardinalibus & Secretariis Pontificis familiare commercium literarum dudum nactus erat. A primo acquisiti culminis Papalis die ipse *Benedictus* hunc abunde ex literis cognoverat. *In curiam Papæ Avionem vocatus.*

Ceterum *invitus* fere & multis precibus Curialium victus, *aulicum* hoc *munus subiit*, cujus mores aliàs ab aulicorum consvetudinibus atque regulis longissime differrent. (*l*) *Secretarius Papæ.*

Dum

*hendere per se notitiam? Accesserunt ad hæc, ut dixi, studium, exercitium, proniras quædam ingenii, & mira supra modum delectatio, quæ meum vehementius animum ad illa studia impellebat, imò rapiebat, atque ab aliis multis studiis non tam placitis abducebat: Quæ insuper in suscepto opere vel studio unumquemque hominem maxime retinet & cogit persistere. Ut autem à clarissimo Poëta est præclare dictum, Labor omnia vincit improbus. Et iterum teste Salustio: Ubi intenderis ingenium, valet.* Ex MSCto Wolffenbutt.

(*l*) Quibus machinis Avenionem ad negotia curialia fuerit pertractus, ipse depinxit in *epistola ad Johannem Præpositum Insulensem*, à quo Parisios iterum erat invitatus, cum Papalem curiam jam deseruisset. *Quod semel*, inquit, *servitii jugo colla supposui, non mea, deo teste, factum est voluntate, sed illius potissimum domini, cujus servitium subii, petitione, nonnullorumque amicorum vehementiori instantia imo impulsu, me miserum, me infelicem, me non vita nec luce dignum, contestantium, si tantum pergerem honorem ultro oblatum recusare, tantique pontificis oblata, me ultro ad se adsciscentis, adspernari. Opponebam, non ex animi superbia, sed ex imperfecti mei cognitione, propter quæ tali viderer officio minime aptus, fallique meritoque timerem & illum, qui id ingerebat, & illos qui ad suscipiendum incitabant, animi libertatem, curiarum insuetudinem, morum dissonantiam, corpusculi fragilitatem, laboris impatientiam, nisi cum ex animi voto ac voluptate proveniret, styli denique mei à stylo curiæ discrepantiam, quem nec mutare liceret, nec certe liberet. Responsum est per singula. Libertatem primum mihi non perituram, sed tantam affuturam, quanta unquam fuisset. Curiam illam magna honestate atque gravitate pollere. Mores ante experientiam non judicari aut damnari oportere: Sæpe quæ ignota displiceant, cognita placere. Corpus quamvis tenue imponendis sibi oneribus abunde sufficturum, neque ultra vires aut beneplacitum labores subeundos. Quod utique promissum satis apud me inviolatum servatum est. Vix enim aliud inveni oneris impositum, nisi facta prius interrogatione, utrum illud vellem suscipere aut possem explere. Quantum vero ad stilum attinuit, responsum est, meum placere pergratumque esse. Quid multa? Sancti in me Pontificis eximia benevolentia, illorum præterea, qui ejus nomine hanc mecum rem tractabant, mira instantia, amicorum denique meorum summa impressione tandem victus succubui, cervicemque, eatenus jugi nesciam, jugo subdidi, qui magnorum antea principum, quod te nequaquam latet, famulatus ac servitia contemseram. Sed si serviendum fuerat, cui honestius servire potui quam summo pontifici & sanctæ Ecclesiæ, extrema odii conturbatione desolatissimæ? Re enim vera, etsi illam non volo curiam à vitiis absolvere, major tamen illic morum modestia, honestatis species, gestuum gravitas, quam in secularium Principum curiis esse deprehendi, ubi omnia nimis hodie confusa sunt. Accedebat adhæc sortis similitudo atque parilitas, qua me virum Ecclesiasticum magis cum Ecclesiasticis congruere existimabam. Pares namque cum*

*paribus*

*Cardinalibus carissimus.*

Dum venit tandem in aulam Pontificiam Avinionem, relicto suo Professorio in Academia Parisiensi munere, longe carissimus ejus extitit adventus, *Cardinali* inprimis *Galeoto de Petra Mala*, ceterisque aulicis. Prædicat hanc Cardinalis in se gratiam, pro suo reciproco in eum affectu, decentissimâ oratione, in epistola ad *Gontherum Colli, Galliæ Regis Secretarium*, Avinioni scripta, qua hujus Cardinalis, calculo Viennæ extincti, obitum amare deplorat. (*m*)

*In magna apud Pontificem gratia.*

Abstractus hoc pacto ab Academia, & in curiam Papalem pellectus, fidus heri sui minister, prolixo *in Benedictum* propendit *affectu*. Quippe quod *Benedicto carissimus* esset Clemangius. Singularem Pontificis in se gratiam frequenter celebravit apud amicos per literas. *Quanto me Pontifex ille amore dilexerit*, scribit ad Johannem Præpositum Intulensem, *quam benigne, quam suaviter, quam indulgenter tractaverit, quanta in me viscera caritatis in quadam infirmitate mea gravissima* (cum peste correptus graviter decumberet Avinioni Clemangius) *effuderit, longum esset dicere, nec nunc necessarium.*

Fuit ergo Avinioni *Secretarius aulæ Pontificiæ.* Et illo quidem tempore, quo adhuc *Benedictus* à Gallis agnosceretur *Pontifex*, coleretur atque prædicaretur. *Illo sui tempore Secretarius* (inquit in Epistola ad Jacobum de Noviano) *quo libere atque impune, nullo adhuc vetante edicto, id esse licebat, quo tota insuper Gallicana domus velut Papam venerabatur Benedictum.*

In

*paribus veteri proverbio maxime conveniunt. Non autem me fefellit existimatio.* Ex MSCto Wolffenbuttelensi.

(*m*) *Mallem tibi lætiora*, inquit, *scribere, sed nunc tristia cogor. Quidni tristia afferam, qui mortem nuncio, mortemque clarissimi Viri & optimi Galeoti de Petra Mala, Sacrosanctæ nuper Ro. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis. Qui quamvis in præcipui honoris arduo culmine positus, mihi tamen pia dignatione amicissimus erat. Testes hujus rei sunt suavissimæ literæ, quas antequam facie me notum haberet, ad me misit. Quas ipse non modo vidisti, verùm etiam earum cultu elegantiaque delectatus mihi extorsisti, & quæ mellifluæ adeo benevolentiæ familiaritatisq; dulcedine toto suo ubique tenore redundant, ut nunquam me à quovis amico literas amicabiliores accepisse recorder. Testes sunt ejusdem & aliæ posterius missæ, quas nescio an te vidisse contigerit. Ubi autem me ad curiam profectum videre datum est, quo vultu, qua lætitia, quibus oculis & complexu, qua denique humanitate & comitate me exceperit, verba mihi desunt, si coner dicere. Conceptum diu desiderium mei adspectus non satis contuendo explere poterat. Nec suis fides in dubio abfuit pollicitis, imo ingentiora promissis, non curiali mecum more agens, exhibuit. Ad summum me Pontificem perduxit, multoque & maximo affectu commendavit. Sodalibus insuper suis Cardinalibus cum excedente merita laude præsentavit. Si quid mihi in curia agendum esset, meum se futurum patronum, adjutorem, intercessorem, procuratorem, spopondit, & profecto effecit. Quid dulcia & familiarissima me commemorare oportet colloquia, demonstratam Bibliothecam, libros omnes, qui multi erant & singulariter electi, perliberaliter oblatos. Denique quod antea literis petierat, voce rursus atque observatione repetiit, ut ipsum vellem amicum habere in amicorumque numerum admittere. Vide ergo, quo dolore affici, qua animi tristitia angi debeo, tali viro, tali patrono, tali postremo amico orbatus, &c.* Ex MSCto Wolffenbutt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In hoc suo officio integritatem ac fidem suam probavit. Neque verò *negotia secretiora*, quæ curiæ Pontificiæ arcana tangerent, hujus fidei commissa, quod Gallus esset. Testis hujus rei Clemangius, in epistola ad Academiam Parisiensem. *Ita fui secretarius*, inquit, *ut à majoribus essem secretis sequestratus.* *Negotia officii.*

*Variam* mox expertus *fortunam in curia papali* Clemangius. Optimum Patronum, *Cardinalem Galeotum de Petra Mala*, mors ipsi subtrahebat, præcipuam fortunæ partem. *Fortuna in curia Papali.*

Peste, per totum annum Avinioni grassante, pene extinctus, nisi *Dei* gratiâ, quam ante omnia celebrat, *Pontificis* singulari cura, & *Medici* Pontificis opera, mortis faucibus esset ereptus. (*n*) *Peste correptus.*

Sed & *mores* atque *ingenia aulicorum* sensim perdidicit. Quare ab isthoc vitæ genere abhorrere tandem cœpit, *aulæ papalis pertæsus.* Simulare namque & dissimulare, cum aliorum detrimento suum venari commodum, ex aliorum ignominia suam aucupari gloriam, integritas ejus non permisit. Unde est, quod *curiam* sæpe appellet *labyrinthum.* (*o*) *Mores aulicorum vidit.* *Aulicæ vitæ pertæsus.*

Tametsi igitur benignissime ab ipso Pontifice Benedicto tractaretur, *vitæ* nihilominus *aulicæ tædium* ipsum cepit. Adeo ut annis pluribus animo semper volveret officii aulici mutationem, abitumque honestum ex Papali curia meditaretur. *Spe* nihilominus publicæ desideratissimæque *Ecclesiasticæ emendationis*, & disfidii Pontificum componendi, *longo adhuc tempore in Benedicti curia est retentus.* *Abitum ex aula diu meditatus.*

*Sincerus in patriam*, Galliam, ipsumque Regem, *affectus* Clemangii, quem illibatum semper servavit, pertentatus in Papali Curia plus simplici vice. Qui magno animo illas insidias vicit. Grande periculum suo impendere capiti animadvertebat, quando ad decretum quoddam Papale contra Parlamentum Regium conscribendum à Cardinalibus invitaretur, & tantum non minis compellendus videretur. Quod onus non absque magna molestia & cum Cardinalibus contentione declinare valuit. Abjecit tamen animose, quod nec precibus neque minis sibi imponi passus est. (*p*) *Sincerus in patriam affectus.*



(*n*) Post Deum, ineffabilem Pontificis in se, ægrum, affectum præclare commendat in *epistola ad Gontherum Colli, Galliæ Regis secretarium.* Quippe quod raro exemplo Papa *Medicum* suum illi dederit, *Franciscum*, ex insularum Balearum maxima, Majorca, oriundum.

[*o*] In epistola ad Joh. Præpositum Insulensem ita hac de re scribit: *Labyrinthum dico curias sectari, aulisque Principum atque servitiis implicari. A quibus meum scis abhorrere semperque abhorruisse ingenium, & è quibus velut è labyrintho vix exitum invenire licet.* Ex MSCto Wolffenbutt.

(*p*) Conquestus, vel de superato potius isthoc gravi periculo vehementer gavisus, dum illud in epistola ad Academiam Parisiensem notavit. *Mandaverunt*, inquit, *mihi vivo organo duo ex Cardinalibus, Pontificis ut ajebant nomine, ut in quadam controversia, quæ diu fuit in regio Parlamenti prætorio ventilata, in favorem illius literas conficerem, qui in dicto fuerat prætorio condemnatus. Cœpi multa onus refugiendo obtendere, quod Francus eram & regni indigena, quod regem*

Difficilius negotium in Avinionensi curia fuit, quando de *fulminibus excommunicationis contra omnes Gallos* aut totum regnum consilia cœpta. Præsente quidem adhuc in Benedicti curia Clemangio hæc agitata, verum Clemangius ad illa plane non adhibitus, utpote secretiora, quæ prodi ab aliis Gallis periculum erat. (*q*)

Novus his accessit casus anceps, dum Rex Galliæ gravissimo decreto universos Gallos obstrinxit, à Benedicto Pontifice abstinere, cui obedientiam, Pontifici aliàs præstandam, denegarent. Qua demum tempestate, quem biennio jam meditatus erat, *abitum ex aula Papali maturavit*, officium cum urbe relinquens. (*r*) Amor patriæ & devotio erga Regem Clemangium curiæ Papali valedicere suaserunt.

*Ex curia Papali emigravit.*

Ad *Januenses* igitur primò Avinione concessit. Ubi vix trimestri spatio substiterat, quanda fama ad ipsum perlata, Benedictum fulmine Excommunicationis totam Galliam feriisse. Quo nuntio sic exterritus, ut tota vita nunquam majori stupore perculsus attonitus steterit, fulmen fulminisque fabricatores execratus. (*s*) Quod factum A. circiter 1408. proxime ante Concilium Pisanum, quo herus Clemangii Benedictus, cum altero Pontifice Italo Gregorio XII. autoritate Papali privati, tertio Pontifice Alexandro V. constituto.

*Januam concessit.*

Postquam igitur Rex fulmina ista Benedicti novis suis & regni decretis elusisset, decretorum Regiorum observantissimus Clemangius, urbem *Januam reliquit*, & intimius *in Patriam* Galliam se recepit, se Benedictum non sectari, testaturus.

*Januam reliquit.*

*Lingonam* sic concessit, ubi Ecclesiastico *Canonicus* frueretur beneficio, in *Thesaurariâ* Ecclesiæ illius dignitate. Exceptus à Capitulo

*Lingonã se cõtulit.*

*gem vel regiam curiam offendere non vellem. Cumque alter Cardinalium ad opus suscipiendum pertinaciter me urgeret, nequaquam me facturum planissime respondi. Cum adhuc ille addidisset, per Papam id mihi pracipiendum: Si, inquam, ille pracipiat, scio quid acturus sum, suo utique potius renunciabo servitio, quam mandatum exequar. In hoc verbo illi abierunt.* Ex MSCto Wolff.

(*q*) In epistola ad Academiam Parisiensem ita de secretissimo isthoc Pontificis negotio disserit: *Si à multis & magnis secretis tum ego tum Gallici arcebamur, quis ad illud arctissimum nos admissos esse crederet, quod intra secretas cellulas, ne aliqua posset ratione ad nos usque pervenire, inter paucissimos arbitros secreti illius participes agitabatur, non sine maxima ut puto formidine, ne foras efferretur. Quid quod domestici & compatriota aderant Secretarii, quibus talia committebantur. Quid etiam quod Itali aderant, quibus, si externis essent committenda, longe potius committerentur, quam Gallis, contra quos fiebant. Sane potius crediderim à rubro mari aut extremis India finibus petendum fuisse secretarium, si de alia propinquiori natione inveniri non posset, quam talia in Gallos edicta Gallo alicui Secretario mandarentur.* Ex MSCto Wolffenb.

(*r*) In Epistola ad Johannem Præpositum Insulensem, *Quanquam*, inquit, *tanta in me esset indulgentia pii Pastoris, subierat tamen jam animum satietas curiæ, serviendique tædio affici cœperam, quando me inde sæva tempestas abripuit.* Ex MSCto Wolffenb.

(*s*) Testatur hoc multis in epistola ad Jacobum de Noviano.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pitulo benevole ac peramanter, & ad beneficii possessionem admissus. (*t*) *Canonicus Lingonensis factus.*

Invitatus mox ab amicis Gallis, qui *Parisios* reverteretur, Secretarii munere in curia Regia functurus, constanter declinavit, cum aulicæ vitæ tædio, tum quietis amore, *Lingonensi sua sorte contentus.* (*u*)

*Librorum apparatu*, quo Avinioni abundaverat, Lingonæ destitutus, in Scripturæ S. lectione additis Patrum scriptis quibusdam, acquievit. *Scripturæ S. lectioni incubuit.*

Sed nec defuit mox ingens tempestas, quæ jactatura & tantum non absorptura Clemangium videretur. In suspicionem ab *æmulis* suis atque *obtrectatoribus* raptus est, quasi paulo ante, quam Lingonam concessisset, *ferales illas Benedicti literas excommunicatorias*, quibus sacra toti Galliæ interdicta, Avinioni *conscripsisset.* Quæ fama tantum in Gallia odium, tantum periculum illi conciliavit, ut *latibulum* esset quærendum. *Purgavit* autem *se variis literis* ab hoc crimine, seque innocentissimum demonstravit, qui curiam Benedicti dudum jam deseruisset antequam furiales illæ literæ publicatæ, quas, dum cognosset Januæ, exhorruisset, quique omnem semper erga totam Galliam affectum & observantiam demonstrasset. Quo spectant *literæ ad Academiam Parisiensem*, in quo Collegio diu olim vixerat, *ad Reginaldum de Fontanis*, *Jacobum de Noviano*, *Gontherum Colli*, & alios. *Obtrectatores expertus.*

Nihilominus probare nunquam voluit hoc *Gallorum consilium*, quo obedientiam Pontifici subtrahendam duxerant, quin magno semper animo, omni metu abjecto, impugnavit. Id quod luculenter testantur *literæ*, *ad ipsum Gallorum Regem Carolum VI. scriptæ*, quibus magno studio Regi dissvadet illam à Benedicto secessionem, quæ & regno & Ecclesiæ sit futura perniciosa. Similiter ipsi *Benedicto* per literas *solatia dedit* in illo statu, illud de subtrahenda Benedicto obedientia Gallorum decretum palam aversatus. Eandem variis exposuit animi sui sollicitudinem, exprobravitque factum Gallorum magnatibus, ipsique Gersono. *Nonnulla Gallorum consilia improbavit.*

*Tutum* proinde *locum* quærens, *ubi ab insidiis remotior* quiesceret, donec fluctus compositi, & tempestas disparuisset, in *Vallis profundæ monasterium* apud Carthusianos primùm divertit. (*x*) *Latebras quæsivit. Apud Cartusianos delituit.*

Mox ad *Fontem in Bosco* secessit. Quod suum *latibulum*, ex quo varias ad viros illustres & doctos dedit literas, ab ingenti fructu commendare solitus est. (*y*) *Angellus novus.*



(*t*) Illam Capituli Lingonensis benevolentiam celebrat in Epistola ad Johannem Præpositum Insulensem.

(*u*) Quam ἐπιείκειαν eleganter significat per literas Johanni de Monsterolio.

(*x*) Quod Clemangius ipse notavit in epistola ad Reginaldum de Fontanis.

(*y*) Elegans hujus eremi sui eremique illius fructus encomium reliquit in epistola ad Professorem Parisiensem, tempore Concilii Constantiensis scripta. *Oppressus*, inquit, *ante aliquot annos æmulorum insultatione, me tunc gravissime perse-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*In eremo literarum commercium continuavit.*

*In hoc angello* diu delituit *cum libello*, commercio literario cum viris doctis haud interrupto, sed alacriter & ardenter continuato. Unde plurimas easque elegantissimas habemus epistolas, dulces amœni illius latibuli Clemangiani reliquias. Hæsisse ibi videtur octo ad minimum annis, usque ad Concilii Constantiensis tempora.

*Publica illo tempore Ecclesiæ fata.*

In hoc angello observavit *Concilii Pisani fata* A. 1409. *Concilii Romani ludibria* A. 1412. *Concilii* denique *Constantiensis initia* & successum A. 1414.

*Pro Constantiensi Concilio sollicitus.*

Non destitit viros summos ad Constantiense Concilium properantes monere, & ad officium faciendum invitare. Quas epistolas memorabiles *ex MSCto Wolfenbuttelensi* supra exhibuimus.

*A Pontificiæ in aulâ retrahendus.*

Neque Benedicti XIII. in Clemangium affectus, vel plurium annorum intervallo, vel absentia Clemangii longâ extinctus. Quapropter cum septem annis à curia Papali abfuisset, & in isthoc angulo in otio literario quievisset, de Clemangio in curiam suam revocando sollicitus esse cœpit. Quandoquidem tunc in Concilii Constantiensis exordio bonis oratoribus atque Secretariis opus habere videretur. Invitatus igitur Clemangius, qui ex suo angello in curiam Benedicti reverteretur. Verùm lubrica hæc etsi impensa Benedicti desideria humanissime ac prudentissime à se declinavit: Sibi gratulatus, quod salvus semel è curia Papali evasisset, & *in isto tuguriolo* literis quiete vacare posset. (z)

*Officium aulicum pristinum recusavit.*

Ex spe-

*quentium, ex urbe illa fui excedere compulsus. Elongavi itaque fugiens, & mansi in solitudine, expectans illic eum qui salvum me faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate, & vidi iniquitatem & contradictionem in civitate. Quod quidem, quantum re ipsa experiri potui, mihi in commodum cessit, à Dominoque factum esse existimo. Primum quia me & conscientiam meam peccatis onustam quietius atque opportunius aliquantula compunctione ad Deum recollegi. Deinde, quia post longam lectionem secularis eloquentiæ gentiliumque scriptorum, in quibus non parva tempora occupavi, tandem istic ad sacri Canonis investigationem sacrorumque doctorum mystice ac salutariter illum exponentium, magnâ me aviditate contuli, quæ nunc pœne sola de gratia Christi me lectio delectat, in qua etsi parum ingenio parum studio proficere potui, plus tamen ut opinor profeci, quam tota anteacta ætate in studio Parisiensi. Adde, quod stylo secessum requirenti solitudinemque desideranti, melius, liberius, uberius, operam dedi. Illum postremo non arbitror fructum meæ fugæ ac solitudinis contemnendum, quod ab intuitu acerbissimorum malorum, quæ nostra viderunt, & nunc vident tempora, a furore belli civilis, à fornace denique incendii horum certaminum pestiferorum, huic tandem infelici patriæ exitialium, in solitario isto loco delitescens abfui. Quibus plerique ne implicarentur, Hierosolymam petierunt, alii sanctam Catharinam, montemque Sinai, nonnulli in Hispanias ad sanctum Jacobum peregrino sunt itinere profecti. Nec defuerunt qui his impellentibus causis, multis jam annis orbem lustrant. Ut nemini debeat mirum videri, si quietis ac pacis amore à turbinum me strepitu longiuscule subtraxi. Vale. Datum Apud Fontem in Bosco.*

Ex MSCto Wolf.

(z) Meretur hæc epistola Clemangii ad Nicolaum de Beja legi.

Ex ſpecu tandem in lucem *ad Canonicatum Lingonenſem rediit*, periculis ſuperatis. Beneficio iſthoc priſtino contentus, cum brevis videretur vitæ reſtare terminus. *Qui*, (uti mox Lingonâ ad Joannem Muretum, olim Avinioni in curia Clemangio familiarem, Pariſiis tunc agentem, perſcribebat) *multiplicationem titulorum Eccleſiaſticorum non concupiſceret*, ne, quo minus ipſi reſtaret viæ, plus viatici quæſiſſe merito argueretur. *Ex Eremo Lingonâ rediit.*

Abdicaſſe tamen tandem ſcribitur Canonicatum & dignitatem Theſaurariam Lingonenſem, *Bajocenſis* Eccleſiæ Canonicatum, *Cantorisque* adeo in Capitulo titulum amplexus. Quando à multis ſcriptoribus antiquis (*aa*) ac recentioribus *Archi-Diaconus Bajocenſis* appellatur, errore hoc fieri pronunciant alii. (*bb*) Niſi forte in eadem Bajocenſi Eccleſia Capitulove à Cantoris ad Archi-Diaconatus characterem aſcenderit. Quod non impedit. *Canonicus* certe ad finem vitæ manſiſſe apparet. *Canonicus Bajocenſis tandem factus.*

Qui per vitam ſuam miras in orbe & Eccleſia mutationes, & inſolitos tumultus viderat, in his turbinibus ad gravem penetravit *ſenectutem*. Quot verò vitæ annos curſu ſuo abſolverit, incertum. Quod Concilii Conſtantienſis ætatem ſuperaverit, vel ex eo patet, quod ſub Concilio non pauca ſcripſerit ad illud pertinentia. Quo tempore adhuc in angello ſuo hærebat, ex quo poſtea evaſit, alia beneficia Eccleſiaſtica conſecutus. An autem Baſileenſis Concilii A. 1431. initia, vel finem, annumque fere illius ſeculi quadrageſimum attigerit, ut ſunt qui putant, (*cc*) valde adhuc dubium, neque fit veroſimile. Colligunt, qui hoc notant, ex *epiſtola ad* Pariſienſem Scholaſticum, ſupra cap. V. exhibita, qua ſe duorum Conciliorum fata vidiſſe Eccleſiæ parum proficua, teſtatur, tertiique Concilii tunc præſentis aliam fortunam ſe non expectare. Putantque prima illa Concilia inania Piſanum fuiſſe & Conſtantienſe, tertiumque tunc præſens fuiſſe Baſileenſe. Verùm aliter ſe rem habere attente epiſtolam perlegenti conſtabit. Duo priora quæ notat Concilia fuerunt Piſanum A. 1409. & Romanum A. 1412. Tertiumque tunc cum ſcriberet præſens, erat Conſtantienſe A. 1415. Nulla igitur hic mentio Baſileenſis. *Senectutem attigit.*

Ætate gravem jam fuiſſe *Concilii Conſtantienſis tempore*, ex ſuperioribus ejus rebus geſtis videtur elucere. Academiæ Pariſienſis Rector jam claruit A. 1393. Ad minimum igitur annos tunc habuerit triginta vel quadraginta. Qui & iisdem annis graviſſimas ad Regem Galliæ & Pontificem de arduis negotiis daret literas. Quæ res ex ætate & experientia judicii maturitatem poſtulat atque gravitatem. Etſi verò in *epiſtola ad Regem* in principio ſe *natu juniorem* vocet, fieri tamen hoc ex devotione, conſiderato arduo quod ſuſceperat literis tractandum negotio, haud dubium, virilem ſane ac maſculum ſtylus nunciat calamum. His ergo annis acceſſerunt viginti



(*aa*) Trithemio & aliis.
(*bb*) Warthonus, in Append. ad Hiſt. Liter. Cave.
(*cc*) Flacius, Lydius, Warthonus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& plures usque ad Constantiense Concilium. Hoc igitur florente, sexaginta & plurium jam fuerit annorum. Quis autem fuerit vitæ terminus, incertum.

*Obiit Parisiis. Sepultus in templo Academico. Epitaphium.*

Parisiis eum *obiisse* colligitur ex sepultura ac monumento. In *Navarrensis* quippe *Collegii sacello*, sub lampade, quæ de tholo ædis penderet, coram magno altari sepultus fertur, hoc *Epitaphio* sepulchro inscripto:

*Belga fui, Catalaunus eram, Clemangius ortu:*
*Hic humus ossa tenet, spiritus astra petit.*

*Oratorem* fuisse & *Poëtam* excellentem, æterna ejus *monumenta literaria* testantur. *Ingenio* fuisse acri, subacto *judicio*, *prudentia* rara, *studio* ferreo atque infracto, constat. Humanus admodum, sed & gravis, jocos interdum ferens atque miscens, sed parcius, ut dignitatem retinerent. Gratus atque acceptus Pontifici, Cardinalibus, virisq; illustribus permultis. Arcta amicitia conjunctus Gersoni Academiæ Parisiensis Cancellario, Petro de Alliaco Cardinali Cameracensi, Vincentio Ferrerio, magno oratori, in Concilio Constantiensi eminentibus. Opera, quæ supersunt, *literarum culturam* illa ætate rarissimam referentia, *animi* excellunt *præsentia*. Qui tam ingenue, cordate, & animose perstrinxerit publica *Ecclesiæ & reipublicæ vitia*, ut parem suo seculo vix haberet. *Integritatem morum* tantopere in omnibus literis atque scriptis ursit, ut ordinarium fere hoc esset atque saluberrimum scriptorum ejus condimentum. Hinc Zelo correptus, *antistitum Ecclesiæ corruptissimos illo tempore mores*, *simoniam* præsertim, Ecclesiæ saluti exitiosam, & infandum *fastum*, damnavit. *Vir sincera animi pietate præditus*, inquit Warthon, *ac stylo supra seculi sui sortem eleganti usus, intrepidus principum malorum censor & objurgator. Qui Pontificum schismata, ambitionem & vitia, Ecclesiasticorum sordes & avaritiam, Monachorum ignaviam, luxuriam & libidinem, omnium denique ordinum mores solutos acri calamo flagellat.* Quod igitur magnam vitæ partem legendis scribendisque libris consumsisset, ingenio magis quàm vitæ atque fortunæ serviens, sub finem vitæ sub incudem pleraque ab eo revocata atque recensita, sed & conjunctissimo amico *Regio Secretario Gontherо Colli* ad describendum seu edendum publicandumque oblata esse, memorat *Lydius*.

Descripta ejus opuscula varias ab obitu regiones easque remotissimas inviserunt, doctis carissima. Unde *MSCtorum* varii *codices* in Gallia, Italia, Anglia, Germaniaque nostra, *thesauri* instar in Bibliothecis publicis asservantur.

Ut alios mittamus in aliis regnis obvios, nostrosque jam limites observemus, in *Serenissimorum Ducum Brunsvico Lunæburgensium Bibliotheca VWolffenbuttelensi Augusta* præclarum & elegantem *Codicem MSCtum Epistolarum Clemangii* asservari, ex præsenti opusculo abunde patet, quippe quo nunc sumus usi. Quo de in præfatione fusius disseruimus.

In nostra hujus *Academiæ Juliæ Bibliotheca*, multis MSctis instructa

ſtructa, *geminum codicem MSCtum operis Clemangiani de Ruina Eccleſiæ* ſpectari, ex ſequenti conſtabit *tertia* hujus operis *parte.* Non eſt dubium, quin paſſim adhuc lateant monumenta quædam ejus hactenus incognita nec prodita, illius temporis in republica & Eccleſia ſtatum egregie illuſtratura. Quæ ſenſim memoriæ hominum ſubducta plane tandem perire, verendum.

Ejus vero ſuo illo ſeculo autoritatis fuerunt illius monumenta, ut inventa *typographia* luci ſtatim quædam darentur. *Viennæ A.* 1481. prodiit opuſculum ejus *de lapſu & reparatione juſtitiæ.* Ibidemque *A.* 1482. lucem vidit *diſſertatio* ejus *de Concilio Generali.* Superiori ſeculo, *A.* 1519. editum opus ejus *de corrupto Eccleſiæ ſtatu.* Recuſa mox ſuperiora Clemangiana additis novis, in Germania, & Gallia. Donec à variis paſſim viris doctis è tenebris quædam Clemangiana eruerentur, atque orbi noſtro communicarentur. Donec *Johannes Lydius, Germanus, Francofurtenſis*, & *Epiſtolas Clemangii* ex MSC. proderet, & reliqua *edita* hactenus *ſcripta* conjunctim cum prioribus reſuſcitaret, A. 1613.

Ceterum, quando ex tenebris emerſiſſe jam videbuntur Clemangiana, tribus fere ſeculis elapſis, non tamen hoc peregrinum dictu putabunt viri docti, quando audient, edita hactenus Clemangiana, in ipſa luce, pluribus jam ſeculis aucta, non in umbra ſed tenebris fere adhuc verſari. *Non edita* propemodum dicenda pleraque *Clemangiana* in hunc uſque diem, ſed poſthac demum à Viris harum rerum peritis, *ex MSCtis edenda.* Quod ne quis miretur, dicam clarius. Adeo *corrupta* pleraque *Clemangiana edita*, ut faciem vix Clemangii referant. Inclementer actum cum Clemangio dicent, qui Clemangium cum Clemangio contulerint. Per exempla eundum.

*Epiſtolarum Clemangianarum opus* à Lydio editum, Clemangium vix agnoſcit, ſi cum aliis *MSctis Codicibus*, Epiſtolas ejus complexis, componatur. Præclarum & elegantem *codicem MSctum Wolfenbuttelenſem Epiſtolarum Clemangianarum*, *A.* 1480. ab *Evchario Troſther Præbendario Eccleſiæ Majoris Argentinenſis* magno ſtudio ſcriptum, quando cum Lydiana editione contulimus, vah, quantam deprehendimus diſcrepantiam. Ex *Theodori Cantheri Ultrajectenſis* Bibliotheca *Lydius* MSctum nactus, unde editionem ſuam paravit.

Quod igitur *MSCta Clemangianarum epiſtolarum* toto ſæpe cœlo differant, uti collatio *Lydianæ editionis* cum *MSCto VWolfenbuttelenſi* teſtata, merito quæſitum, quibus potisſimum fides habenda. Non negandum, hæſitaſſe nos nonnihil, & in utramque partem rem diu excuſſiſſe. Donec *MSctum Wolfenbuttelenſe*, Cantheriano vel Lydiano præferendum eſſe, varia arguerent argumenta. Sane *Lydianus* codex, prout editus, tantopere ſæpe vitiatus, ut nullum gignat ſenſum. *Wolfenbuttelenſis* rem omnem clariſſime ubique exponit: Lacunas Lydianas abunde & rectiſſime ſupplet. Dein aliam melioremque vel centies ſuppeditat orationis ſeriem,

Cleman-

Clemangiano genio magis conformem. Præcipuum momentum differentiæ est, quod in Lydiano longissimæ sæpe periodi, & paragraphi totas quoque paginas implentes occurrant, quæ in Wolfenbuttelensi non comparent. Ita quidem, ut in Wolfenbuttelensi oratio melius fluat, longissimis illis additamentis absentibus, quam in Lydiano illis interjectis. Quæ res quæstionem peperit, unde illæ mutationes grandes subnatæ, an à *Clemangio* ipso, an vero *editoribus primis secundisque*, vel vivente vel defuncto Clemangio? Videri quidem poterat mutatio isthæc ab ipso Clemangio profecta, qui, cum in eremo aut angello suo pluscula sua scripta recenseret, vel addiderit vel absciderit ad epistolis suis olim datis nonnulla, vel & ante obitum, ut refert Lydius, omnia denuo perlustraverit, adeoque tunc sua quædam manu reformaverit. Ut sunt ingenia, quibus nihil quod scripserunt, unquam placet, sed limam semper adhibent novam, ἀκριβείᾳ tantum non superstitiosi. Qualis genius & in Philippo Melanchthone superiori seculo notatus. Verum, plane non verosimile fuit visum, tam grandem difformitatem epistolarum suarum ipsum Clemangium procreaturum, qui nova illa ingenti reformatione priores ad Reges atq; Principes datas damnare atq; abjicere, ac pro non datis declarare voluerit. Quin igitur in *Scribas* atq; *editores* res devolvenda. Si ante obitum suum sua scripta post obitum denuo edenda, hoc est describenda, commendavit *Gonthero Colli*, *Secretario Regio*, veteri & intimo amico Parisiis agenti, in *hunc* prima cadet *mutationis suspicio*. Qui pro suo judicio interpolaverit singulas pœne, & nonnullas adeo, ut vix Clemangianam formam retinerent. Si verò nec *Colli* pro fide in Clemangium hoc præstiterit, in *alium* quendam res redibit, qui ederet vel jussu Gontheri Colli, vel suo postea arbitratu. Quandoquidem illo tempore, absente typographia, à variis doctis literaria monumenta describebantur. Quo pacto *duæ* vel *plures* postmodum ab obitu Clemangii *Epistolarum Clemangianarum editiones* extiterint. Quarum una antiquior, sincerior, haud interpolata, altera, vel plures, mutationem expertæ. Numerus sane epistolarum diversissimus in MSctis diversis, diversitatem editionum antiquarum, à describentibus profectarum, arguit. Lydianus codex pauciores, Wolfenbuttelensis plures habet. Vicissim in Wolfenbuttelensi nonnullæ non visuntur, quæ in Lydiano lectæ.

Quod si igitur conjecturæ locus fuerit aliquis dandus, verosimile nobis videtur, *Codicem MSCtum VVolfenbutelensem*, primum ac genuinum, infucatum referre Clemangii stylum. Quapropter ex *hoc MSCto pulcherrimo* superiores epistolas depromsimus, Lydiana editione collata quidem diligentissime, sed relicta merito atq; seposita. Cui conferre lubet nostras has cum Lydianis, differentiam insignem deprehendet, sed & fatebitur, nostras etsi breviores, nec interpolatas, svavius fluere. Neque nobis grave erit, totum *opus epistolarum Clemangianarum*, *novum* plane atque Lydiano dissimillimum, in gratiam orbis eruditi doctæque posteritatis, ex hoc *MSCto VVolfenbuttelensi* aliquando communicare. Interea quibus inspicere dabitur *Codices MSCtos* in *Gallia*

& *Anglia*

*Anglia*, quam formam, an Lydianam an nostram habeant, observabunt.

Sed & aliud monumentum Clemangianum hic commemorandum, nempe: *De corrupto Ecclesiæ statu.* Editum hoc jam à variis, sed ex uno semper exemplari, eoque corruptissimo, superiori seculo, A. 1519. edito. *Lydius* quoque eadem formâ fideliter retinuit. Ast *Mscrum* istud, ex quo primum edi contigit in superioris seculi principio, tantopere maculatum ac deformatum, ut Clemangius abhorreret si videret. *Duo Mscti Codices* hujus opusculi præclarissimi in *Academiæ nostræ Juliæ Bibliotheca* reconditi longe meliorem formam referunt, *genuinumque Clemangium* nobis reddunt. Sic vivat imposterum Clemangius, ex latebris suis in lucem revocatus atque resuscitatus.

Quemadmodum igitur *Theodericum Vrie nostrum* diximus, labore multo ex ruderibus sepulcri erutum atque resuscitatum, ita non minori jure Clemangium *nostrum* appellabimus, quem *genuinum*, si non in angello suo apud Fontem in Bosco, in *Augustissima* tamen *Bibliotheca Augusta Wolffenbuttelensi* latitantem, jussu atque autoritate *Serenissimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI, Principis literatissimi*, in lucem producere par fuit & antiqua virtute dignum. Servent posteri *Clemangium*, & *Clemangii consiliis* publicam rem servari animadvertent! Cui merito ex MScto Wolf. hoc damus monumentum, quod inter alia dederat suo Jacobo de Noviano, Viro doctissimo:

QUis te laude prior, meritis præstantior, alta
Celsior in specula numinis ac superum?
Nescio digna tuis meritis quæ verba licebit
Promere. Nam te res vocibus anteferunt.
Ingenii lumen quis laudibus efferat aptis?
Candidius nullum circulus orbis habet.
Quis tantas animo vigili comprenderat artes?
Quis memori melius mente tenebat eas?
Te nullæ rerum penitus latuere latebræ:
Natura & studiis cesserat ipsa tuis.
Abdita scrutari noras, & pandere clausa:
Ipsa acies penetrans pervia quæque dabat.
Quid loquar eloquium clarum, dulce atque disertum,
In quo vix aliquem liquerat ille parem.
Quid referam moresque graves, moresque modestos?
Quid pia, casta, Deo corda dicata canam?
Cetera virtutum quid prosequar agmina longe
Nobile quæ pectus incoluere suum.

# Hermannus von der Hardt/

## *Lectori S.*

EN apertum atque *sincerum infucatumque pectus Clemangii*, cui ut Ecclesiæ ita & Constantiensis concilii salus curæ cordique fuit. De cujus *candore* nemini nisi *Spondano*, inclementi Clemangiani genii judici, dubium suboriri queat, qui ægerrime fert, quod Clemangius de Concilio Romano, 1412 à Johanne XXIII. ægre cogi cœpto, tam candide commemorarit, quod ex aliis fide dignis acceperat. Quod scil. illud vix inchoatum, cum ludibrio omnium præsentium, nec sine pudore Johannis XXIII. mirabili fato subito sit dissipatum. Uti supra *Capite V.* plenius indicavit Clemangius. Concilium illud à Johanne celebratum non negat Spondanus, sed spectaculum non admittit, quod ægro in Johannem XXIII. affectui tribuit.

Verum Johannis XXIII. id genus erat vitæ, quod in proxime secuto Constantiensi Concilio publicam mereretur notam, exilium, & carcerem. Cujus rei cum aliis omnibus illius ætatis scriptoribus, ipsisque publicis Concilii actis, luculentissimus testis *Theodericus a Niem*, in *vita* hujus *Johannis XXIII.* quam *Tomo II.* ex MSCtis exhibebimus. Idemque jam nunciavit *Theodoricus Vrie*. Quid mirum ergo, eum, cui vitæ honestas tædium, conscientiæ puritas opprobrium, subito bubonis conspectu territum, & confusum, ut pudor ex conscientiæ terrore ortus vix cœptam congregationem dissolveret? Affectus potius *Spondani* nimius in Johannem, affectui in Clemangium dicam scripserit. Ut solet affectio animi judicium fascinare. Sane integritas desiderii Clemangiani pro reformatione totius Ecclesiæ ex toto ejus vitæ scribendique genere abunde liquet.

*Vitam* proinde *Clemangii*, quam apud neminem deprehenderemus plenius conscriptam, omni studio concinnavimus. Quod lectori non ingratum fore confidimus. Quippe quod non solum jucundum sit, fata fortunamque doctorum virorum nosse, sed & singularem fructum polliceatur. Cum *vitæ clarorum virorum* sint luculentæ virtutum imagines, quarum intuitu felicius ad æmulationem excitamur, quam molestis præceptis.

Pia

Pia hæc
Emendationis vota
*concepta*
a
NICOLAO DE CLEMANGIIS
Theologo & Oratore Gallo
Ab anno M CCC XCIII
Ad annum M CCCC XV
medium Concilii Constantiensis fermentum
WENCESLAO, RUPERTO
&
SIGISMUNDO
IMPERATORIBUS.
*Descripta*
A. M CCCC LXXX
ab
EUCHARIO TROSTHER
*Ecclesiæ Argentinensis Præbendario*
Regnante
FRIDERICO III. IMPERATORE.
*Luci reddita*
Ex vetusto & genuino MSCto Wolfenbuttelensi
Helmstadii in Academia Julia
A. M DC XCVI.
Mense Majo
*Imperante*
LEOPOLDO
CÆSARE AUGUSTO
VIRTUTIS LITERARIÆ
ÆQUE AC BELLICÆ
STATORE AUGUSTISSIMO.

Et
fausto quidem omine
candidum pectus
*Clemangii*
Priscæ virtutis præclarum monumentum
lucem vidit
*DIE XVI. MAJI*
Candidissimo
ac
Faustissimo
NATALI
SEPTVAGESIMO
SERENISSIMI PRINCIPIS
RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS
Literatorum Mæcenatis
Augusti,
Operis hujus novi
Magni Concilii Constantiensis
Historiam complexi
Conditoris Celsissimi,
Cujus gratiâ
Clemangius vitam
Orbis Clemangium
Candor lucem
Literæ decorem
Impetrarunt.
ÆTERNUM VIVAT, QUI VITAM CONCILIAVIT
CANDORI ET STUDIIS, CONCILIOQUE SACRO!

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf